

8)

# ELEMENTA CHRONOLOGIÆ

EX PRINCIPIIS ASTRONOMICIS  
AD USUS CIVILES ET ECCLESIASTICOS  
ACCOMMODATAÆ;  
QUÆ  
CUM SELECTIS PROPOSITIONIBUS

EX  
ARITHMETICA, ALGEBRA, GEOMETRIA THEORE-  
TICA ET PRACTICA, OPTICA, CATOPTRICA,  
DIOPTRICA ET PERSPECTIVA  
exponent ac demonstrabunt

## P R A E S I D E

P. JOANNE LINN, SOC. JESU  
AA. LL. & Phil. Mag. in Alma semperque  
Catholica Universitate Moguntina Mathematum Profess,  
Publ. & Ordin. Facult. Phil. Asseffore  
ORNATI AC ERUDITI DOMINI  
D. MAXEMILIANUS WÜRDWEIN, Amorbacensis.  
D. LEONARDUS BECKER, Mogonus.  
D. JOANNES KOCH, Bingensis.  
AA. LL. & Phil. Baccal. Phys. Metaph. Eth. ac Ma-  
theseos Auditores

MOGUNTIAE IN AULA PP. S. J.

Die 4. Septemb. 1764. manè hora 8.

---

## M O G U N T I A E ,

Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. apud Hæred. Häffner,  
per Joann. Benjamin. Waylandt.

Chronol.  
est, c.  
libet tem  
nologia i  
astrorum  
Astronom  
temporis  
actionib  
tempus si  
distributu  
quæ han  
Chronolo  
cultus d  
gendaru  
de scient  
gia Eccle  
logia his  
de illis q  
clesiastic  
utile &  
agemus.

## P R Æ F A T I O.

Chronologia est scientia temporum. Alia est, quæ commemorat, quo res quælibet tempore gesta sit, diciturque Chronologia *historica*; alia ex motu Solis & astrorum tempus exactè definit & est *Astronomica*; hæc verò licet accuratissima temporis dimensio cùm civilibus hominum actionibus & negotiis minus apta fuerit, tempus suppositis Astronomiæ principiis distributum est in usus politicos; & ideo, quæ hanc dimensionem spectat, dicitur Chronologia *Politica*. Denique tempus in cultûs divini & rerum in Ecclesia peragendarum varias periodos dividitur, unde scientia, quæ his occupatur, Chronologia *Ecclesiastica* appellatur. De Chronologia historica agere animus non est, sed de illis quæ de Cbronologia politica & Ecclesiastica ex principiis Astronomicis scire utile & jucundum est, sequenti ordine agemus.

# ELENCHUS OPUSCULI

## PARS I.

DE VARIIS MENSURIS TEMPORIS.

Cap. I.	<i>Dies, ejus partes &amp; hebdomades.</i>	I
Cap. II.	<i>Menses Solares &amp; Lunares</i>	10
Cap. III.	<i>Anni Solares &amp; Lunares</i>	14

## PARS II.

DE NOTIS QUIBUSDAM TEMPORIS, UT DE CYCLIS  
SOLIS, LUNÆ, INDICTIONIS, CERTIS  
PERIODIS, EPOCHIS.

Cap. I.	<i>Cyclus Solis.</i>	23
Cap. II.	<i>Cyclus Lunæ.</i>	28
Cap. III.	<i>Cyclus Indictionis.</i>	30
Cap. IV.	<i>Periodus Julianæ &amp; aliæ periodi.</i>	31
Cap. V.	<i>Epochæ.</i>	33

## PARS III.

DE ORDINATIONE TEMPORIS IN CALENDARIO.

Cap. I.	<i>Calendarium in genere, &amp; quædam Calendariæ in specie.</i>	35
Cap. II.	<i>Calendarium Christianum vetus, &amp; ejus errores.</i>	36
Cap. III	<i>Correctus primus error anti- cipati æquinoctii.</i>	43
Cap. IV.	<i>Correctus secundus error cycli Lunaris.</i>	46
Cap. V.	<i>Varia problemata ad Ca- lendarium pertinentia.</i>	55
Cap. VI.	<i>Calendarium Protestantum quod vulgo correctum vocant.</i>	64



# CHRONOLOGIÆ

## P A R S I.

### DE VARIIS MENSURIS TEMPORIS.

#### C A P U T I.

#### D I E S , E J U S P A R T E S E T H E B D O M A D E S .

§. 1. **D**efinitio I. Tempus est quantum, quod componitur ex momentis durationis quarundam rerum collectis.

*S cholion.*

§. 2. Cùm rei nullius duratio constantior sit ac magis pateat, quàm Solis & Lunæ motus & conversio, utpote quæ duo luminaria Aut bore Deo destinata sunt. Gen. i. Ut dividant diem & noctem & sint in signa & tempora, in dies & annos; temporis mensura ab utriusque sideris motu optimè desumitur: inde dies bebdomas, menses & anni efficiuntur.

§. 3. **D**efinitio II. Dies primi mobilis est una revolutio primi mobilis ad idem punctum facta ab ortu ad occasum, ita ut intra horam constanter percurrantur gradus 15.

A

*C o r e l.*

## Corollarium.

§. 4. Cùm circulus constet gradibus 360; primum mobile intra horas 24 æquales totum circulum absolvit.

§. 5. Definitio III. *Dies solaris naturalis* est spatiū temporis, quo sol ab uno meridiani semicirculo digressus ad eundem redit, id quod fit intra horas 24 primi mobilis & 4 ferè minuta.

## Corollarium.

§. 6. Dies solaris naturalis longior est die primi mobilis; nam cùm Sol propter spiras, quas motu diurno percurrit, post integrā revolutionē primi mobilis nondum attingit semicirculum meridiani, unde digressus est, spatiū hoc, quod adhuc restat, sive hæc appendix conficit quatuor ferè minuta horaria, nimirum requirit ultra 24 horas primi mobilis 3'. 56''. 32'''. 1''''. 20''''.<sup>1</sup>

## Scholion.

§. 7. Dies primi mobilis inter se sunt æquales, dies solares sunt inter se inæquales & sol nunc citius nunc tardius ad meridianum revertitur, differentia illa licet in paucis modica sit, in multis tamen notabilis est, quætamen in vita civili non attenditur.

§. 8. Definitio IV. *Dies artificialis* est spatiū temporis, quo sol supra horizontem mora-

moratur, sicut nox est mora solis infra horizontem, dicitur *artificialis*, quia artificialibus servit ad peragendos labores.

## Scholion.

§. 9. *Initium diei naturalis non omnes idem statuant, sed vel ab illo puncto, quo sol horizontem ortivum vel occiduum attingit, vel quo sol meridianum superiorem vel inferiorem transit.*

*Ab ortu solis initium diei statuerunt olim Babylonii & horas numerarunt usque ad eundem, & hodie idem faciunt incolæ Insularum Balearum, Græci &c.*

*Ab occasu solis diem auspicantur Itali & Sinenses.*

*A meridie Astronomi, a media nocte Europæ plerique, uti olim Romani. Unde nata est appellatio horarum Babyloniarum, Italicarum, Astronomicarum & Europæarum. quas alii serie interruptâ alii continuatâ numerant.*

§. 10. *Definitio V. Hora est pars aliquota diei naturalis plerumque pars vigesima quarta, quæ iterum dividitur in 60. minuta, minutum primum in 60. minuta secunda & sic porrò.*

§. 11. *Horæ, quæ à variis diversa nomina sortitæ sunt, diverso modo numerantur: sic*

4 Horæ.

Horæ Babylonicæ sunt 24 æquales, quæ ab ortu solis usque ad eundem continuâ serie numerantur. Horæ Italicae sunt itidem 24. æquales, numeratae ab occasu solis. Horæ Astronomicæ sunt horæ æquales 24 à meridiæ serie continuâ suppuratae. Horæ Europæ sunt 24 æquales, quæ numerantur à media nocte, ita ut series 24 horarum interrupatur & 12 numerentur horæ à media nocte usque ad meridiem, & à meridiæ 12 usque ad medium noctem. Hora Judaica diurna est pars duodecima diei artificialis five dies sint longiores five breviores. Hora Judaica nocturna est pariter pars duodecima noctis; cum in Sphæra obliqua dies artificiales inter se non sint æquales, sequitur, horas Judaicas unius diei non esse æquales horis alterius diei, cum tam dies breviores quam longiores habeant 12 horas. Hora sexta diurna semper est meridies, & hora sexta nocturna semper est media nox, unde quando tenebræ dicuntur factæ patiente Christo hora 6., fuit meridies. Judæi quoque alia divisione dividebant noctem in 4. partes quas vigiliæ vocabant, quælibet horum tres horas complectebatur, & diem similiter in 4. partes, quarum pars quælibet trium erat horarum, has partes dicebant horas orationis vel etiam simpliciter horas, erantque Prima, Tertia, Sexta, Nona. Quæ servire possunt pro intelligendis scripturis.

Proble-

## Problema I.

§. 12. Horas Europæas in Astronomicas convertere & viceversa.

*Resolutio.* Post meridiem horæ Europææ conveniunt cum Astronomicis, unde e. g. hora 1. Sept. est etiam prima Astronomica.

Horis Europæis antemeridianis adde 12., quia totidem effluxere a meridie diei præcedentis, summa dabit horam Astronomicam.

Sit e. g. hora 6. matutina 1. Sept. si addas 12. habes horam 18. diei ultimæ Augusti.

*Horas Astronomicas convertentes in Europæas* hoc modo: si horæ Astronomicæ sint plures quam 12, abjice 12, & quæ restant erunt horæ Europææ diei sequentis.

Si verò non sint plures quam 12. erunt horæ pomeridianæ Europææ ejusdem diei.

E. g. Legis, eclipsin solis incepisse die ultima Martii hora 21. 40'. 41". abjectis horis 12. est hora Europæa matutina 9. 40'. 41". diei primæ Aprilis: Si verò eclipsis aliqua dicatur futura 1. Apr. hora Astronomica 2. hæc quoque esset hora civilis 2. ejusdem diei primæ.

## Problema II.

§. 13. Horas Astronomicas in Babylonicas convertere & viceversa.

*Resolutio:* 1. Inquire longitudinem diei datae.

2. Illius dimidium adde horis Astronomicis.

3. Si summa excedat 24. subtrahuntur 24.  
quod residuum est indicat horam Babyloniam  
sequentis diei.

*Si vero summa non excedat 24. tota summa  
est hora Babylonica diei praesentis.*

E.g. sit hora Astronomica primae Julii 22,  
adde horas 8. cum longitudo diei tota sit ho-  
rarum 16. summa est horarum 30. abjectis  
24. remanent 6. quae est hora Babylonica  
diei 2dæ Julii.

*Si vero sit 1. Julii hora Astronomica 3. adjice  
8. summa horarum 11. indicat esse horam  
Babylonicam 11. ejusdem diei.*

*Ratio est* quia differentia harum horarum  
est dimidia pars longitudinis diei, cuius pars  
antemeridiana pertinet ad diem Astronomi-  
cum priorem, pomeridiana ad diem præ-  
sentem.

*Ut ex horis Babylonicas accipias Astronomicas,* partem dimidię longitudinis diei sub-  
trahe ab hora Babylonica, & residuum indi-  
cat horam Astronomicam præsentis diei; si  
vero hora Babylonica minor sit parte dimi-  
dia longitudinis diei, adde ad horam Baby-  
lonicam 24. & subtrahe dimidię partem  
longitudinis diei & habes horam Astrono-  
micam diei præcedentis.

Proble-

## Problema III.

q. 14. Horas Babylonicas in Europæas convertere & vicissim.

*Resolutio. 1. Quære tempus seminocturnum.*

2. Hoc tempus adde horis Babylonicis, si summa non excedat 12. habes horam Europæam, si excedat 12. abjice 12. & quod remanet exhibet horam Europæam. sic 1. Julii sit hora Babylonica 6. tempus seminocturnum est horarum 4. adde has horas 4. horæ Babylonicae 6. & erit hora Europæa 10.

Si verò hora Babylonica sit 10. his 10. adde 4. & erit hora 14. abjice 12. & habes horam secundam.

*Ratio per se patet.*

*Ut convertas horas Europæas in Babylonicas.*

1. Subtrahe ab horis Europæis antemeridianis tempus seminocturnum, vel horam ortùs solis; si verò sit hora Europæa pomeridiana adde ad horam Europæam 12. & a summa subtrahe tempus seminocturnum.

E.g. sit hora Europæa 8. matutina tempus seminocturnum sit 5. subtrahe 5. ab 8. & erit hora tertia Babylonica.

Sit hora Europæa 4. pomeridiana, adde 12. & habes 16. subtrahe tempus seminocturnum v.g. 5. & erit hora Babylonica 11.

## Problema IV.

q. 15. Horas Europæas in Italicas convertere  
& viceversa.

*Resolutio.* Si sint horæ Europææ antemeridianæ, adde tempus seminocturnum ab occasu solis diei præcedentis usque ad medium noctem elapsum, & aggregatum exhibet horas Italicas.

E.g. die 1. Julii horæ 8. maturinæ adde 4. horas, nimirum tempus seminocturnum & aggregatum ex 8 + 4. facit 12.

Si sint horæ Europææ pomeridianæ, tempus semidiurnum subtrahe a 24. & habes horam meridiei, huic adde horam datam Europæam & habes horam Italicam. Si aggregatum ex tempore semidiurno & hora Europæa excedat 24. subtrahe 24. & habes horam Italicam pro sequenti die.

E.g. sit 1. Julii hora 3. pomeridiana, subtrahe tempus semidiurnum 8. a 24. & remanent 16. adde 3. & habes horam Italicam 19. Si verò esset hora pomeridiana 9. subtrahe ut ante 8. a 24. adde 9. ad 16. & habes 25. subtractis 24. a 25. remanet 1. est igitur hora prima Italica pro die sequenti.

*Pro horis Italicas in Europæas convertendis.*

1. Subtrahe tempus seminocturnum, si pauciores horæ remanent quam 12. habes horam antemeridianam. E.g. 24. Aprilis habes

bes horam Italicam 15. subtrahe 5. scilicet tempus seminocturnum & habes horam Europæam 10.

*Si horæ Italicae remanentes sint plures quam 12. erunt horæ Europææ pomeridianæ, a quibus abjice 12. & habes horam Europæam.*

E. g. sit 24. Apr. hora Italica 21. subtrahe 5. remanent 16. abjectis 12. erit hora pomeridiana 4.

*Si vero horæ Italicae sint pauciores quam tempus seminocturnum. E. g. sit hora 2. Italica, adjice ad illas tempus semidiurnum prioris diei e. g. 7. & habes horam Europæam 9. diei præcedentis.*

### Problema V.

§. 16. Horas Europæas in Judaicas convertere & viceversa.

*Resolutio.* 1. Inquire longitudinem diei, & hanc divide per 12. quotus erit longitudo unius horæ Judaicæ. 2. Subtrahe ab hora data Europæa horam ortùs solis & residuum divide per quotum antea inventum.

E. g. 1. Julii sit hora 8. si queratur hora Judaica, longitudo diei est horarum 16. divide 16. per 12. quotus est  $1\frac{1}{3}$ . si deinde subtrahas ab hora 8. horam 4. quæ est hora ortùs solis & residuum 4. dividas per  $1\frac{1}{3}$ ; quotus est hora Judaica 3.

*Ut horas Judaicas convertas in Europæas.*

A 5

I. Quæ-

1. Quære longitudinem unius horæ Judaicæ, haec multiplica per horam Judaicam datam.
2. Adde horam ortū solis, & habes intentum.

E.g. 1. Julii sit hora Judaica 3. cùm illo tempore hora Judaica sit hora Europaea 1. &  $\frac{1}{3}$ .; si multiplicet per 3. horam datam, erit hora 4., adde horam ortū solis 4. & habes horam 8. Europæam.

§. 17. *Definitio VI.* Hebdomas est spatium 7. dierum. Dies autem nomen sortiti sunt à Planetis, qui mos etiamnum viget. Stylo Ecclesiastico dies hebdomadis dicuntur feriae, ita ut dies dominica dicatur feria prima, dies Lunæ feria 2. &c. dies ultima nomen Sabbathi retinet.

## C A P U T II.

### MENSES SOLARES ET LUNARES.

§. 18. *Definitio I.* Mensis solaris Astronomicus est spatium temporis, quo Sel percurrit unum Signum Zodiaci sive duodecimam partem Eclipticæ.

### Scholion I.

§. 19. Signa Zodiaci sunt:

V      8      II      2  
*Aries, Taurus, Gemini, Cancer,*

Ω      η.  
*Leo, Virgo.*

—      m      →      ♋  
*Libraque, Scorpius, Arcisnenſis, Capr,*  
 ≈      X.  
*Amphora, Pifces.*

Zodiacus rationalis conſtat 12. ſignis æqualibus, quorum quodlibet in gradus 30. diuiſum eſt, ut conſtat ex Astronomia. Zodiacus phyſicus conſtat 12. ſignis non exacte æqualibus, eſt iſ etiam variabilis & mouetur ſenſim motu len- tiffimo ab occaſu in ortum.

### Scholion II.

§. 20. Si admittatur cum Cassino & Philippo de la Hire quantitas anni ſolaris dierum 365. hor. 5. 49'. Mensis ſolaris juxta motum medium conſtat diebus 30. hor. 10. 29'. 5".

§. 21. Definitio II. Mensis Lunaris Periodicus dicitur ſpatium temporis, quo Luna Zodiacum, vel totam orbitam Zodiaco æquivalentem percurrit, & ad idem punctum Zodiaci revertitur, quod fit ſecundum motum medium intra dies 27. horas 7. 43'. 5".

§. 22. Definitio III. Mensis Lunaris Synodicus eſt

est spatium temporis, quo Luna post conjunctionem cum Sole completis omnibus phasibus suis ad Solem reddit, & cum eo iterum conjungitur, quod fit intra dies 29. hor. 12. 44'. 3". 10"". 40""".

### Corollarium I.

§. 23. Patet ex his, mensem Lunarem Synodicum, qui & *Lunatio* dicitur, esse longiorem mense Lunari Periodico; nam quando Luna ad idem Zodiaci punctum, in quo solem reliquerat, revertitur, v. g. ad initium Arietis intra dies 27. hor. 7. 43'. 5". absolvit quidem mensem periodicum, non tamen inventit Solem in loco, ubi cum Sole fuerat conjuncta; cum Sol interea motu suo ferè uno signo in consequentia sit progressus, ergo, ut illum assequatur, debet unum ferè adhuc signum percurrere, ad quod requiruntur dies 2. hor. 5. 0'. 58". 11"". atque hoc tempore mensis Lunaris Synodicus superat mensem Lunarem periodicum. Ubi notandum, quantitatem horum mensium secundum motus medios accipi non verò secundum motus veros, quia hi omnino inæquales sunt. Lunatio etiam ad illum mensem pertinet, in quo finitur, juxta vetus illud: *In quo finitur, mensi Lunatio detur.*

Corol-

*Corollarium II.*

§. 24. Mensis lunaris Synodicus supra descriptus est Astronomicus, quem adhibent Astronomi pro inveniendis Noviluniis, eclipsibus &c. in vita verò civili non attenditur ad minuta Astronomica, sed ibi integris diebus agitur & menses cum aliquo die inchoari & finiri debent; hinc datur etiam mensis Synodicus civilis vel politicus.

§. 25. *Definitio III.* Mensis Synodicus civilis vel politicus est, qui proximè accedit ad mensem Synodicum Astronomicum: menses autem civiles alternis vicibus constant diebus 29. & 30. cùm 12. horæ, quæ ultra 29. dies supersunt, intra duas Lunationes iterum diem efficiant; mensis Lunaris civilis constans tantum 29. diebus *cavus*, qui constat 30. diebus, *plenus* vocatur.

*Corollarium.*

§. 26. Quoniam ultra 12. horas restant in quælibet lunatione 44'. 3". 11"". post 33. lunationes iterum dies efficitur, ita ut quælibet 33. lunatio sicut 32. constet 30. diebus, ut sic lunationes civiles cum Astronomicis consentiant, restat tamen adhuc appendix 13'.

§. 27. *Definitio IV.* Mensis embolisticus dicitur mensis decimus tertius, qui suo tempore mensibus Lunaribus adjicitur.

## CAPUT III.

## ANNI SOLARES ET LUNARES.

§. 28. *Definitio I.* *Annus Solaris Astronomicus* sive *Tropicus* est spatium temporis, quo sol Zodiaci signa percurrit facto initio a certo aliquo puncto v. g. ab initio arietis, constat hic annus juxta Cassinum & alios diebus 365. horis 5. 49'.

§. 29. *Definitio II.* *Annus Solaris civilis*, in quo tantum dies integri spectantur, neglegentis horis & minutis, est certus dierum numerus cursui solis anno proximè accedens, qui jam constat 365. diebus & tum dicitur *communis*, jam 366. diebus & tum *bissextilis* appellatur.

§. 30. *Definitio III.* *Annus Lunaris Astronomicus* est spatium temporis, quo fiunt 12. lunationes: continet is dies 354. hor. 8. 48'. 38".

§. 31. *Definitio IV.* *Annus Lunaris civilis* est, qui constat 354. diebus, & cujus menses alternatim sunt 29. & 30. dierum.

*Corollarium I.*

§. 32. *Annus Lunaris Astronomicus Solari minor* est diebus 10, hor. 21. 0'. 22".

*Corol-*

## Corollarium II.

§. 33. Annus Lunaris civilis seu politicus anno solari civili minor est 11. diebus, itaque post annos Lunares 32 continuos discedetur ab anno solari 352. diebus, quod ferè integrum annum lunarem efficit.

Ut autem anni solares cum lunaribus consentiant, differentia anni lunaris a solari nimurum 11. dierum collecta tribus annis constituit dies 33. sive integrum luationem & insuper 3. dies; est igitur tertio quolibet anno annus lunaris 13. mensium & mensis 13. est plenus 30. dierum; residuum 3. dierum reservatur, usque dum tandem integra lunatio aut plena aut cava efficiatur.

## Corollarium III.

§. 34. Annus Lunaris 13. mensium, qui *embolimaeus* vel *embolismicus* dicitur, modò est dierum 383. modò 384. si mensis embolismicus est plenus, etiam annus embolismicus dicitur *plenus*, si verò mensis embolismicus *cavus* est, etiam annus talis *cavus* dicitur.

## Corollarium IV.

§. 35. Patet ex his, annum solarem esse quidem majorem anno lunari communi, sed minorem anno lunari embolismico.

## Corollarium V.

§. 36. Annus embolisticus Astronomicus constans 13. lunationibus continet dies 383. horas 21'. 32''. 41'''.

§. 37. Definitio IV. *Annus Solaris Ægyptiacus* sive annus Nabunassaris, quo usi sunt Ægyptii, est, qui constat 360. diebus, ita ut cui-libet mensium competant 30. dies, & 5. dies, qui ex anno solari supersunt, rejecti sint in finem.

## Corollarium.

§. 38. Annus hic ab anno Solari Juliano aber-rat 6. horis; unde totum annum Julianum percurribat, & spatio annorum Julianorum 1460. dies 365. quod integrum annum efficit, antevertebat.

§. 39. Annus Ægyptiacus menses habet 12. omnes 30. dierum, nomina mensium sunt: *Ibot*, *Paophi*, *Athyri*, *Cojac*, *Tybi*, *Mecheir*, *Pharmenoth*, *Pharmulhi*, *Pa-chon*, *Pauni*, *Ephiphi*, *Mesori*. adjecti sunt præterea 5. dies.

§. 40. Definitio V. *Annus Romanorum veterum* spatium fuit 304. dierum, qui in decem menses distributi fuere.

Scho-

## Scholion.

§. 41. Formam banc anni nec Solis nec Lunæ motui congruentem correxit Numa, addendo mensibus decem Januarium & Februarium, ut annus fieret 355. dierum, studuitque annum illum intercalationis beneficio cum motu Solis componere, hac verò intercalatio cum rite facta non sit, omnia in anno isto turbata fuere.

§. 42. Definitio VI. Annus Julianus, à Julio Cæsare sic dictus est annus solaris constans 365. diebus, si est communis; si verò sit bisextilis 366. diebus, pro quo intelligendo nota sequentia.

§. 43. I. Julius Cæsar videns perpetuam confusionem in anno à Numa ordinato propter intercalationem saepe perperam factam, statuit annum Lunarem mutare in Solarem suauis & ope Sosigenis Astronomi Alexandrini ad normam ferè anni Ægyptii, cum hoc discrimine, quod dies 5. quos Ægyptii post menses 12. numerabant & adjecti vocabant, distribuerit in menses.

§. 44. II. Cum videret Julius, annum Ægyptiorum propter neglectas 6. horas quarto quolibet anno ante annum Solarem integro die absolvi, voluit, ut quarto quolibet anno insereretur dies intercalaris post 23. Fe-

bruarii, ab hoc die, quoniam anno illo bis dicebatur *sexta Calendas Martias*, annus *bissextilis* vocabatur. Existimavit hac ratione anno quarto, horas ab annis prioribus residuas excrescere in integrum diem, cum judicaverit, annum solarem Astronomicum constare diebus 365. & horis 6. annus, quo Julius Calendarium correxit, fuit 15. mensium & ideo *annus confusionis* dicebatur.

§. 45. III. Omnes menses, qui erant; *Januarius*, *Februarius*, *Martius*, *Aprilis*, *Maius*, *Junius*, *Quintilis*, *Sextilis*, *September*, *October*, *November*, *December* habebant inchoando a Martio alternatim dies 31 & 30. excepto Februario, qui erat dierum 28, si erat communis, & 29 si bissextilis. Romani, ut Julio Cæsari adularentur, mensem Quintilem, in quo natus erat Cæsar, vocarunt *Julium*. Intercalatio à Julio præscripta, anno tertio sive ineunte quarto facta errorrem rursus induxit, qui per annos 36. continuatus est, quem Augustus correxit jubens, ut annis 12 nulla fieret intercalatio. Romani postea mensem Sextilem vocarunt *Augustum*; & ne mensis Augustus dierum numero minor esset Julio, unus dies subtratus Septembri additus est Augusto, & ea mensibus forma data est, quæ etiamnum viget.

Scho-

§. 46. Si nosse cupias, quinam menses nunc habeant 31 vel 30 dies excepto Februario, digitos unius manūs alternatim erectos & clausos tene, ac primo digito erecto sive pollici Martium accommoda, secundo digito, qui est clausus, Aprilem &c. in Augusto ad pollicem redi & sic perge: mensis incidens in digitum erectum, dies habet 31, incidens in clausum tantum est dierum 30. excepto Februario.

§. 47. *Definitio VII.* Annus *Gregorianus* est annus Julianus correctus, ita ut tres anni saeculares, qui juxta Julium Cæsarem debebant esse bissexiles, fiant communes, quartus vero saecularis sit bissextilis, de quo inferiori pluribus agetur.

§. 48. *Definitio VIII.* Annus *Persicus* sive *Isdegerdicus* idem est cum Ægyptio sive *Narbonassaræo* & ab illo non differt nisi penes initium.

Annus Persicus *Gelalæus* sic dictus à Gelal, incepit saeculo undecimo sub imperio Gelal. Servato anno Juliano, sexies vel septies ordinariè quolibet anno quarto diem intercalarem addunt, & postea semel anno quinto, ut errorem anni Juliani statim corrigant. Annum incipiunt a meridie diei, quo Sol principium Arietis ingressus est.

Menses sunt 30. dierum & in fine anni adjiciuntur 5.

§. 49. Menses in anno Gelalæo sunt:

Fervardin	Meher
Ardahabest	Aban
Chordad	Adar
Tir	Di
Mordad	Behmann
Shahriar	Esfandarmod.

§. 50. *Definitio IX. Annus Græcorum post Olympiades receptas fuit Lunæ solaris & habuit 12 menses Lunares 30. & 29. dierum alternatim. Mensis decimus tertius, si opus erat, intercalaris 30. dierum adjiciebatur, nimirum in annis 3. 5. 8. 11. 14. 16. 19. Mensis ille erat primus, cuius plenilunium solstitium æstivum proximè sequebatur.*

§. 51. Nomina mensium anni Græcorum præsertim Atticorum sunt sequentia.

Ε'λαφιβολιών	Dier.	Βονδρομιάν	29
Μενυχιών	- 30	Μαιμακτηριών	30
Θαργυλιών	- 29	Πιανεψιών	29
Σπιρροφοριών	- 30	Ποσειδέων	30
Ε'πατομιβαιών	- 29	Ταμελιών	29
Μεταχειτνιών	- 30	Α'νθεστηριών	30

Si adhibitus fuit mensis intercalaris, dictus est Ροσειδέων β, id est, Posideon secundus.

§. 52.

§. 52. *Definitio X.* *Annus Iudeorum* est Lunaris compositus ex mensibus Lunaribus 12, qui alternatim sunt dierum 29 & 30, quem annum ut Hebræi conciliarent cum anno solari, olim in fine anni adjecere dies 11. aut 12. nunc verò mensem embolismicum suo tempore interjiciunt.

§. 53. *Menses Iudeorum* sunt:

Thisri	<i>Dier.</i>	30	Nisan	30
Marchesvan	-	29	Jiar	29
Casleu	-	30	Sivan	30
Tebeth	-	29	Tamuz	29
Schebat	-	30	Ab	30
Adar	-	29	Elul	29
Veadar in anno embol.	-	30		

§. 54. *Menses* incipiunt à neomenia sive nonilunio. Adhibent nunc Judæi cyclum 19. annorum & intercalationem faciunt juxta regulam Gamalielis post annos tres, tres, duos, tres, tres, tres, duos, nimirum anno 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. menses embolimici semper ante mensem Nisan inseruntur. Aliqui partiuntur annum in 4 Tekuphas sive 4 anni quadrantes.

§. 55. Annum Ecclesiasticum Judæi incipiunt à neomenia Nisan proxima ante æquinoctium vernum; annum verò civilem auspicantur à neomenia Thisri circa æquinoctium autumnale.

§. 56. *Annus Chinensium* fere coincidit cum anno Judæorum, est lunaris mixtus & differt ab anno Judæorum quoad initium & aliquot alia capita.

§. 57. *Definiitio XI.* *Annus Turcicus & Arabicus* est merè Lunaris constans 12 lunationibus, ceu totidem mensibus, qui alternatim 30. & 29. dies numerant.

### *Corollarium.*

§. 58. Annus hic anno nostro brevior est 11. ferè diebus, & principium anni Turcici per menses nostros regreditur & vagatur per singulos anni solaris dies. Si e. g. hoc anno initium illius esset 3. Augusti, anno sequenti responderet nostro 23. Julii vel 24. si esset annus abundans, qualis est tertius ferè annus. Post annos Lunares 30. revertitur ad eundem diem. Undecim horum annorum sunt abundantes dierum 355, nimirum annus 2. 5. 7. 10. 13. 16. 18. 21. 24. 26. 29. reliqui novendecim sunt dierum 354.

§. 59.

§. 59. Menses Turcici sunt:

Muharram	30	Regiab	30
Saphar	29	Sahaben	29
Rabie prior	30	Ramadam	30
Rabie posterior	29	Scheuval	29
Giumadi prior	30	Dulkaidat	30
Giumadi posterior	29	Dulkagiath	29

Si adjicitur dies, additur mensi Dulkagiath.

## P A R S II.

### DE NOTIS QUIBUSDAM TEMPORIS, UT DE CYCLIS SOLIS, LUNÆ, INDICTIONIS, CERTIS PERIODIS, EPOCHIS.

#### CAPUT I.

#### CYCLUS SOLIS.

§. 60. **D**efinitio I. Cyclo*s* solaris est revolu-  
tio 28 annorum, quibus elapsis  
literæ Dominicæ, quæ sunt 7. primæ Al-  
phabethi literæ, & quæ singulis hebdoma-  
dæ diebus præfiguntur, in orbem redeunt.

#### Scholion.

§. 61. Cyclo*s* solaris dicitur à die dominica, quam  
literæ indicant & quæ olim dies Solis voca-  
batur.

§. 62. Literæ dominicales ordine retrogrado revertuntur; nam si numerus dierum, quos annus habet, esset ejusmodi, ut dividi per 7. exactè posset; semper eadem esset litera dominicalis; verùm si dividantur 365 per 7, relinquitur dies unus, adeoque si prima dies Januarii sit Dominica, & pro literâ dominicali habeat A, etiam ultima dies habebit A, & prima dies anni sequentis erit dies Lunæ, itaque litera A in anno sequenti non designabit amplius dominicam, sed diem Lunæ, B diem Martis &c. G diem dominicam.

### Corollarium I.

§. 63. In anno bissextili, quia dies illi unus inseritur, duæ sunt literæ dominicales; prior incipit à Calendis Januarii usque ad diem 24 Februarii, altera ab eodem die usque ad anni finem. In anno biss. die 24 & 25 Febr. eadem manet litera.

### Corollarium II.

§. 64. Si non essent anni bissextilis, cyclus Solis esset 7. annorum; cùm verò intercurrant anni bissextilis, cyclus absolvitur post 7 quadriennia, sive postquam annus bissextilis in singulas 7 literas incidit, ut in subiectâ tabella patet.

§. 65. Tabula cycli solaris in annis Julianis perpetua:

I. G.F

1. G. F	5. B. A	9. D. C	13. F. E	17. A. G	21. C. B	25. E. D
2. E	6. G	10. B	14. D	18. F	22. A	26. C
3. D	7. F	11. A	15. C	19. E	23. G	27. B
4. C	8. E	12. G	16. B	20. D	24. F	28. A

## Corollarium III.

§. 66. In cyclo Solis annorum Gregorianorum aliter se res habet; nam quia anno correctionis 1582 exempti sunt ex Octobri 10 dies, necessariò turbatus est ordo literarum dominicalium; etenim diei 5 Octobris, qui erat dies Veneris, cui illo anno respondebat litera E, successit dies 15. qui habebat literam A. itaque cùm antea litera dominicalis erat G, post correctionem fuit C.

## Corollarium IV.

§. 67. Quia in Calendario Gregoriano non omnes anni centesimi sunt bissextiles, etiam necessariò saepe mutandae sunt literae dominicales. Sic aliud est cyclos post annum correctionis, aliud est anno 1700. uti patet ex appositis tabellis.

§. 68. Cyclos Solis post annum Correctionis usque ad annum 1699. inclusivè.

1. C. B	5. E. D	9. G. F	13. B. A	17. D. C	21. F. E	25. A. G
2. A	6. C	10. E	14. G	18. B	22. D	26. F
3. G	7. B	11. D	15. F	19. A	23. C	27. E
4. F	8. A	12. C	16. E	20. G	24. B	28. D

§. 69. Cyclos Solis ab anno 1700. usque ad 1800.

1.	D.	C.	5.	F.	E.	9.	A.	G.	13.	C.	B.	17.	E.	D.	21.	G.	F.	25.	B.	A.
2.	B.		6.	D.		10.	F.		14.	A.		18.	C.		22.	E.		26.	G.	
3.	A.		7.	C.		11.	E.		15.	G.		19.	B.		23.	D.		27.	F.	
4.	G.		8.	B.		12.	D.		16.	F.		20.	A.		24.	C.		28.	E.	

Pro ultima tabellâ intelligendâ, nota, licet anno 1700. sit cyclus 1 & huic correspondeat sola litera C. tamen appositam esse duplîcem literam dominicalem D. C. ut serviat pro anno, quo idem cyclus redit.

Nota 2do, tam pro Cyclo Solis Juliano quam Gregoriano Epocham utriusque cycli esse annum nonum ante Christum natum; unde ad inveniendum cyclum Solis semper addendus est numerus novennarius.

### Problema I.

§. 70. *Cyclum Solis pro quolibet anno invenire.*

*Resolutio.* 1. Ad annum Christi datum adde 9, & summam divide per 28.

2. Vide quale sit residuum, & hoc tibi indicat, quotus sit in eo cyclo annus. Si nihil sit residuum, cyclus est 28.

E g. vis scire, qualis sit cyclus Solis anno 1765 adde 9 & habes 1765 + 9 = 1774 divide per 28 & residuum erit 10, cui respondet litera dominicalis F.

### Problema II.

§. 71. *Literam Dominicalem invenire pro Calendario novo & veteri pro quolibet anno.*

*Reso-*

*Resolutio. Pro Cal. nov. 1. Annum datum divide per 4, ut habeantur anni bissextiles.*

2. Anni bissextiles addantur anno dato.
3. Adde insuper 5.
4. Hæc 3 confla in unam summam.
5. Aufer ab hac summa dies omissos nimirum 11 pro hoc sæculo.

6. Reliquum divide per 7 & residuum subtrahe ab 8, quod remanet, ostendit literam dominicalem, ita ut 1 significet A.

2 B. &c.

E.g. 1765. si dividantur per 4, erunt anni bissextiles 441, his si addantur 1765 ~~4~~ 5 erit summa 2211. ab his si demantur 11 dies exempti manent 2200, qui si dividantur per 7, pro residuo erunt 2. quos si ab 8 subtrahas, manent denique 6: sed numero 6 respondet litera F. utpote litera sexta, ergo F erit litera dominicalis.

*Ratio est, quia cyclus literarum dominicalium ponitur incepisse 5 annis ante Christum natum, adduntur etiam anni bissextiles, quia in anno bissextili sunt duæ literæ; subtrahuntur anni 11, quia totidem sunt omissi. Denique subtrahitur residuum ab 8, ut ex ordine retrogrado litera vertatur in directum.*

*Pro Calendario veteri eodem modo procede, modò omittas subtractionem dierum 11.*

## C A P U T II.

## CYCLUS LUNARIS.

§. 72. **D**efinitio, Cyclus Lunaris est spatium 19 annorum, quibus exactis Lunationes ad eundem diem anni Solaris, licet non ad eandem horam redeunt. Dicitur hic cyclus *numerus aureus*, qui à Metone inventus tanti olim est habitus, ut Athenis in foro literis aureis fuerit scriptus.

§. 73. Videbantur antiquis per cyclum Lunarem novilunia & plenilunia non ad eundem tantum diem sed & ad eandem horam restituī; nam anni Juliani 19, si annus talis supponatur constare 365 diebus & 6 horis, conficiunt dies 6939 & horas 18. Similiter si annis Lunaribus 19, quorum quilibet constat 354 diebus, addantur 11 dies, qui remanent in anno communi (sunt autem intra annos 19 anni communes 15) si denique addantur 12 dies, qui restant pro annis bissextilibus, quorum intra annos 19 sunt 4. Summa dabit dies 6939 & tres quadrantes diei, qui faciunt horas 18. igitur sic per errorem tempora conveniebant.

§. 74. Defectuosus est hic cyclus Lunæ, qui nitebatur falso supposito, nimirum anni solaris quantitatem esse dierum 365 & 6 horarum. Similiter anni Lunaris quantitas non bene

bene innovuit & experientia comprobavit  
spatio annorum 312 &  $\frac{1}{2}$  die integro citius  
novilunia & plenilunia accidere.

- §. 75. Licet vitiosus sit hic cylcus lunaris, re-  
tentus tamen fuit, 1<sup>mo</sup> ut haberetur notitia  
antiqui temporis, 2<sup>do</sup> ut ex numero au-  
reo per praxes arithmeticas novilunia erui  
possent.
- §. 76. Anno, qui nativitatem Christi præces-  
sit, numerus aureus erat 1., hinc unitas  
addi debet, si velis eruere numerum aureum  
anni currentis.

### Problema.

- §. 77. Invenire quolibet anno numerum aureum.  
*Resolutio.* 1. Ad annum Christi datum  
adde unitatem. (§. 76.)

2. Summam divide per 19. residuum ti-  
bi ostendit numerum aureum quæsitus, si  
nihil supereft, est annus cylci 19.

E. g. Anno 1765 adde unitatem & habes  
annos 1765 + 1 = 1766. quos divide per  
19, remanent 18, itaque 18 est numerus  
aureus.

### C A P U T III. CYCLUS INDICTONIS.

- §. 78. *Definitio.* Cylcus inductionis est series  
annorum 15 in orbem rediens.

Sche-

## Scholion I.

§. 79. Nescitur, unde cylcus indictionis originem ducat, existimant aliqui, illum fuisse inventum à Romanis ad constitendum tempus, quo tributa solvenda sunt.

## Scholion II.

§. 80. Christus natus est anno, cuius indictione erat 3. hinc si cruendus sit cylcus indictionis, semper addendi sunt anni 3.

## Problema.

§. 81. Pro dato quolibet anno cylcum indictionis invenire.

Resolutio. 1. Anno dato adde 3. Summam divide per 15.

2. Vide residuum, hoc indicat cylcum indictionis.

E.g. Anno 1765 adde 3. & habes 1765  
 $\frac{+}{\text{ }} 3 = 1768$ . Summa hæc divisa per 15 re-linquit pro residuo 13, est igitur annus indictionis 13.

## CAPUT IV.

## PERIODUS JULIANA &amp; ALIÆ PERIODI.

§. 82. Definitio I. Periodus Julianus est tempus annorum 7980, qui numerus emergit, si tres cycli nimirum solaris anno-

CAPUT

rum 28, Lunaris annorum 19 & indictio-  
nis annorum 15 in se ducantur. Sic si 28  
ducas in 19, productum est 532 quod pro-  
ductum si ducas in 15 cyclum inductionis,  
tota summa emergens erit 7980.

§. 83. Dicitur periodus hæc Julianæ, quia ad  
methodum & cyclos anni Juliani est accom-  
modata à Josepho Scaligero ejus inventore.  
Finitis his annis omnes cycli uno eodemque  
tempore rursus inchoabuntur.

### Scholion

§. 84. Periodus hæc Julianæ est communis men-  
sura omnium temporum, que ab omnibus chro-  
nologis adhiberi potest. Periodus autem hæc  
supponitur incipere ante mundum conditum,  
ante initium æræ Christianæ fuit annus perio-  
di Julianæ 4713.

### Problema.

§. 85. Dato mundi anno invenire annum Periodi  
Julianæ.

*Resolutio.* Sume annum datum v.g. 1765.

2. Adde huic annos elapsos Periodi Julianæ  
usque ad annum Christi nimirum annos  
4713. & habes annum Periodi Julianæ 6478.

### Corollarium I.

§. 86. Ex annis Periodi Julianæ facilè eruere  
poteris omnes cyclos, Solis Lunæ & indi-  
ctionis

32 Periodus Calippica & Hipparchi.

ctionis, sic si summam supra notatam 6478 dividas per 28, habes neglecto quotiente in residuo 10 cyclum solis: Si eandem summam dividas per 19, neglecto quotiente in residuo erit cyclus Lunæ 18. Si illam dividas per 15, habes residuum 13 ceu annum indictionis.

Corollarium II.

§. 87. Utilis est hæc Periodus ad corrigendas historiarum fallacias, qua ratione autem hæc Periodus adhibenda sit ad inveniendos annos alios e.g. Ægyptiacos &c. Vide apud P. de Chales in Tr. de Cal. prop. 19. & seq.

§. 88. *Definitio II.* Periodus Calippica à Callipo sic dicta est series 76 annorum in orbem rediens, sive est periodus Metonica 19 annorum quater multiplicata constans diebus 27759 post quos Calippus putavit ad eosdem anni solaris dies restitui novilunia.

§. 89. *Definitio III.* Periodus Hipparchi est annorum solarium 304 in orbem rediens. Oritur hæc periodus, si periodus Calippica multiplicetur per 4, & una dies dematur. Invenit hanc periodum Hipparchus, quia judicavit, se sic bene corrigerem periodum Calippicam & hac ratione ad eundem diem novilunia reduci.

Scho-

*Scholion.*

§. 90. Tam Calippus quam Hipparchus in suis periodis à vero aberrarunt.

C A P U T V.  
E P O C H Æ.

§. 91. **D**efinitio. Epochæ sive Aera est fixum aliquod tempus à quo certa aliqua annorum series desumitur. Alia est *Sacra*, quæ ex Scriptura sacra desumitur, alia *profana*, quæ ex historicis profanis repetitur.

*Scholion.*

§. 92. *Licet Chronologiam historicam, ut initio monuimus, hoc opusculo non tractemus, subjicimus tamen quasdam Epochas, prout illæ ab aliquibus Authoribus assumuntur, eo consilio ut his in exemplis usus periodi Julianæ magis pateat. Cæterum de his videre poteris Petavium Ricciolum & alios qui rem hanc uberioris prosequuntur.*

*Epocha creationis mundi incertissima est, existimant aliqui cum Petavio, ab orbe condito ad initium æræ Christianæ fluxisse annos 3983. adeoque anno periodi Julianæ 730. mundum creatum fuisse: alii censent cum Ussorio, ab orbe condito annos laplos esse 4004. contingisse ergo mundi creationem anno per. Jul.*

709.

C

Epo-

*Epocha vulgaris Christi nati cœpit Kalendis Januarii anni per Jul. 4714. probabile est tamen, veram Christi Nativitatem anno uno juxta aliquos, biennio juxta alios, juxta alios quadriennio præcessisse.*

*Epocha Olympica* incepit anno ante Christum natum 776, anno periodi Julianæ 3938 quinto quovis anno ludi Olympici repetiti sunt.

*Epocha Romæ conditæ* cœpit anno 752. 21 Aprilis ante Chr. nat. anno periodi Jul. juxta Varronem 3961.

*Epocha Nabunassaris*, cœpit anno 747. 26 Febr. ante C. N. anno per. Jul. 3967.

*Epocha Julianæ* incepit anno 45. ante C. N. quo anno Julius Cæsar calendarium correxit, anno per. Jul. 4668.

*Epocha Turcica vel Hegiræ* cœpit anno post Christum natum 622. 16 Julii. desumitur à fuga Mahometis ex Mœcha, quæ contigit dicto anno die 15 Julii, qui erat dies Jovis, die sequenti igitur annum incipiunt Turcæ, annus periodi Jul. erat 5335.

*Epocha Persica sive Isdegerdica* cœpit anno post Cristum natum 632. 16 Junii, anno per. Jul. 5345. hodie tamen Persæ adhibent Epocham Gelalæam, ob emendatum sub Generale Calendarium anno 1079 anno periodi Julianæ 5792.



P A R S III.

DE ORDINATIONE TEMPORIS  
IN CALENDARIO.

C A P U T I.

CALENDARIUM IN GENERE ET QUÆ-  
DAM CALENDARIA IN SPECIE.

§. 93. *Definitio.* Calendarium est certa se-  
ries & ordo temporis ad cursum  
cælestium motuum ordinati. Nomen traxit  
à græca voce καλέω, voco; eo quòd primo  
die cuiusvis mensis populus Romanus con-  
vocatus fuerit ad intelligenda à Sacerdotibus,  
quænam illo mense agenda essent. Appella-  
tur etiam voce Arabicâ *Allmanach*, quod si-  
gnificat numerationem sive descriptionem.  
Varia erant variarum gentium Calendaria.

§. 94. *Calendarium Judaicum*, quod Exod. 12.  
& 25. a Deo ordinatum fuit, continet festa  
& ritus peragendos à Judæis. Alia festa re-  
currebant post certam annorum periodum  
ùt annus Jubilæus: alia festa erant annua, ùt  
Pascha Pentecoste: alia erant menstrua, &  
denique festum habebant *bebdomadarium* si-  
ve Sabbathum. Præter illa Judæi etiam festa  
habuerunt, quæ ipsi adjecere.

§. 95. *Calendarium Romanum vetus & cor-  
ctum a Numa & Julio quale fuerit, ex illis  
quæ supra dicta sunt, satis colligi potest,  
saltem quoad temporis ordinationem. Ex  
forma annorum superiùs expositâ variarum  
gentium vides etiam, quomodo ab illis in  
Calendario tempus distributum fuerit.*

## C A P U T II.

CALENDARIUM CHRISTIANUM,  
VETUS & EJUS ERRORES.

§. 96. *Definitio I. Calendarium Christia-  
num non aliud est quàm Julia-  
num, in quo literæ Dominicales per cyclum  
Solis, novilunia paschalia per numerum au-  
reum ritè dispositum determinabantur. In  
hoc Calendario occurunt festa, quorum ali-  
qua sunt immobilia, alia mobilia.*

§. 97. *Definitio II. Festa immobilia sunt, quæ  
fixum diem in mense retinent, ut festum  
circumcisionis Domini, quod primâ Janua-  
rii, festum SS. Trium Regum, quod sextâ ejus-  
dem mensis semper celebratur &c.*

§. 98. *Definitio III. Festa mobilia sunt, quæ  
quidem certo alicui hebdomadis diei affixa  
sunt, sed quæ tamen aliis annis in alias heb-  
domades vel menses incidere possunt.*

§. 99.

§. 99. *Pascha est præcipuum festum mobile, a quo dependent festa alia, ut festum Ascensionis Domini, quod die 40mā post Pascha sequitur, festum Pentecostes, quod sequitur die 50mā. Festum SS. Trinitatis &c.*

*Problema I.*

§. 100. *Pascha Christianum explicare.*

*Resolutio.* Judæi olim ex præcepto divino Exodi 12. v. 2. Pascha suum celebrarunt die 14 primi mensis lunaris; mensis autem primus lunaris erat is, cuius luna sive dies 14 cadebat in æquinoctium vernum vel proximè post illud teste Josepho Jud. 1. 3. antiq. Jud. c. 13. Ecclesia autem, licet Ceremonialibus præceptis obstricta non fuerit; tamen ob graves causas suum pascha, cuius typus erat pascha Judæorum, voluit etiam esse mobile & illud celebrare non quidem in ipsa Luna 14. post æquinoctium vernum sed dominica proximè sequenti, si verò ipsa luna 14 esset dominica, transferre voluit pascha in dominicam proximè scquentem, ne pascha Christianorum cum paschate Judæorum conveniret.

§. 101. Ut ista igitur ubivis locorum observarentur, Concilium Nicænum celebratum anno Christi 325. sequentia statuit.

1. Ut pascha nunquam celebretur cum Judæis luna 14, quod antè jam damnatum fuit.
2. Ut dies 21 Martii habeatur pro termino æquinoctii verni, nam illo anno æquinoctium incidit in illum diem.
3. Ut luna 14 incidens in diem 21 Martii vel illum sequens habeatur pro termino paschali, & censeatur pertinere ad primum anni lunaris mensem.
4. Ut dominica hanc lunam 14 sequens sit pascha.
5. Si ipsa luna 14 ineidat in dominicam, ut pascha transferatur ad dominicam sequentem, ne cum Judæis pascha Christiani celebrent.
6. Ut Catholici omnes eodem die in toto orbe pascha celebrent, ita tamen, ut intra hebdomadam tertiam sive à Luna 15 usque ad 21 mensis celebretur.

*Corollarium I.*

- §. 102. Itaque pascha nunquam celebrari potest ante primum mensem lunarem, neque post illum.

*Corollarium II.*

- §. 103. Omnia & sola novilunia, quæ contingunt a die 8 Martii inclusivè usque ad 5. Aprilis inclusivè

clusivè sunt novilunia paschalia; quæ sunt numero 29; nam horum novi luniorum nulla luna 14. incidere potest in 21 Martii, excepto novilunio, quod incidit in diem 8 Martii, in reliquis semper sequitur diem 21 Martii. Itaque potest celebrari in aliquâ dierum à die 22 Martii inclusivè usque ad diem 25 Aprilis juxta antiquum versiculum:

Pascha bis undenam Martis non prævenit unquam  
Vicenam & quintam sed nec Aprilis abit.

Latitudo ergo, intra quam solemnitas paschalis haberi potest, est dierum 35.

*Scholion.*

§. 104. Ne discordia esset, quando novilunia inciperent, Dionysius exiguus vir eruditus numerum aureum sic dispositus in Calendario, ut illo die, cui præfixus erat hic numerus, novilunium esset, & ut sciretur, quæ dies dominica ubique esset, cyclus literarum dominicalium institutus est.

*Problema II.*

§. 105. *Errores Calendarii Christiani veteris ostendere.*

*Resolutio.* Duo fuere errores in Calendario Christiano veteri post plura sæcula detecti; nimirum *anticipatio æquinoctiorum* & *cycli lunaris defectus*, utrumque errorem oculos ponimus.

*Anticipatio æquinoctiorum.*

§. 106. Primus error erat in anni solaris quantitate; nam Julius Cæsar ex consilio Sosigenis staruit annum solarem Astronomicum esse 365 dierum & 6 horarum integrarum, quæ 6 horæ collectæ quovis anno quarto constituerent diem, qui cum reliquis conficeret dies 366. verùm cum sol Zodiacum percurrat intra dies 365. horas 5. 49<sup>1</sup>, annus solaris Julianus justò major est 11<sup>1</sup>. hinc quolibet anno totidem minutis æquinoctia & solstitia sedes anticiparunt, ita ut intra 100 annos uno ferè die retrocederent, nimirum 18 horis 20<sup>1</sup>. hinc annis 131 die integro, & annis 1257, quot nimirum effluxere à tempore Concilii Nicæni usque ad annum correctionis 1582, diebus fere 10, scilicet diebus 9. h. 14. 27<sup>1</sup>. æquinoctium regressum est versus anteriores Martii dies.

Inde magni consecuti sunt errores, & maiores successu temporis nasci potuissent; nam si luna 14 incidit post diem Martii 10 & antecedebat diem 21, non habebatur pro paschali, licet reipsa juxta mentem Concilii Nicæni fuerit paschalis, cùm fuerit primus mensis lunaris; adeoque mense lunari secundo pascha celebratum fuit contra statutum Concilii. Sic anno 1500 pascha celebratum fuit 19 Aprilis in mense 2 lunari; nam secundum veterem cyclum lunarem novilunium signabatur 4 Aprilis,

lis, adeoque luna 14 erat die 17, igitur dominica sequenti die 19 celebratum fuit pascha, cum tamen celebrari debuisset die 15 Martii; cum enim luna 14 inciderit in 14 ejusdem mensis & æquinoctium vernum fuerit die 11. Martii, sequenti dominica post lunam 14 quæ fuit dies 15 Martii pascha celebrandum fuisset. Itaque 35 diebus seriùs quam Concilium Nicænum præcepit, celebratum fuit, qui error successu temporis longius progressurus fuisset, ita, ut tandem æquinoctium vernum ad initium anni & in hyemem migrasset, solstitium aestivum recessisset ex Junio in Majum, Aprilem &c. aliaque evenissent incomoda, quæ res diuinæ humanasque mirum in modum turbassent.

#### §. 107. *Cycli lunaris defectus.*

Error secundus fuit in cyclo lunari. Acceptavit olim Ecclesia cyclum Metonis decennovenalem sive cyclum numeri aurei, propterea quod putaret, lunæ motum ita cum cursu solis convenire, ut post annos 19 novilunia ad idem punctum anni civilis restituerentur, quæ res percommoda visa fuit ad inveniendam lunam 14 paschalem & pascha constituerendum.

Sed fallit cyclus iste; licet enim post exactos annos 19 novilunia ad eundem diem reducantur, non tamen illa ad eandem ho-

ram redeunt, verū citiūs accidentū; nam in formā anni Juliani anni 19 inter quos sunt 4 intercalares, continent dies 6939 horas 18. Lunationes autem, quæ intra 19 annos absolvuntur, continent dies 6939. horas 16. 32'. 26''. si itaque summa hæc subducatur ab annis Julianis, remanet differentia 1 horæ 27'. 33''. tanto igitur tempore luna intra annos 19 anticipat, ita ut annis  $312\frac{1}{2}$ . integro ferè die retrocedat, & à tempore Concilii Nicæni usque ad annum correctionis 1582. 4 diebus citiūs evenerint phases lunæ: quām per cyclum Dionysianum designabantur. id est 4 diebus recedebant respectu æquinoctii, quod diei 21 Martii affixum erat.

Si verò calculus Astronomicus assumatur, pro anno solari computando dies 365. hor. 5. 49'. & pro lunatione dies 29 hor. 12. 44'. 3''. 10'''. 40'''', erunt anni solares Astronomici annis 19 dierum 6939 hor. 14. 31'. Anni verò lunares 19 habent, post lunationes 235 dies 6939. hor. 16. 32'. 26''. itaque facta subtractione remanent horæ 2. quibus luna seriūs cursum absolvit. Ubi patet, utробique cyclum fallere, &, si retentus fuisset cyclus decennovennalis, multò majorem errorem fecuturum fuisse in anno Gregoriano.

C A P U T III.

CORRECTUS PRIMUS ERROR ANTI-  
CIPATI ÆQUINOCTII.

§. 108. *Observatio.* In corrigendis erroribus Calendarii tria curanda erant.  
1. Ut æquinoctium vernum ad diem 21. Martii restitueretur, & ut ab illo die post-hac non recederet. 2. Ut vitiosus cyclus lunæ corrigeretur, ne à cælo aberret. 3. Ut, si contingat, illum post plura sæcula aberrare à cælo, facile error corrigi posset. De primo breviter in sequenti problemate agetur.

*Problema I.*

*Ostendere, quomodo in Calendario æquinoctium sedi suæ restitutum sit.*

§. 109. *Resolutio.* Fuère quidem inter correctionis authores & adjutores nonnulli, qui judicarunt, æquinoctium relinquendum esse die 11 Martii, in quem anno correctionis inciderat, alii censebant, illud in 25 Martii rejiciendum esse, alii intercalationes per annos 40 omittendas esse, alii decem mensibus continuis singulis mensibus diem unum omittendum esse, sed Gregorius XIII. summus Pontifex prudenti consilio cum aliis censuit, unico momento corrigendum esse errorem; itaque ipsius jussu, ut æquinoctium ad diem 21 Martii restitueretur, ex mente Octo-

Octobri dies 10 exempti sunt, ita, ut post quartam Octobris loco quinti assumpta fuerit dies decima quinta omissis decem diebus interjectis; anno igitur sequenti 1583 æquinoctium vernum incidit in diem 21 Martii, quemadmodum in illo die fuit tempore Concilii Nicæni.

Licet autem nondum omnino decem dies completi fuerint, quia tamen diebus integris in rebus civilibus agendum est, bene dies 10 exempti sunt, & quamvis in eandem horam æquinoctium restitutum non fuerit, eidem tamen diei redditum est, cum periculose fuerit visum, rem ulterius differre. Facta est autem hæc dierum subtractione in Octobri, quia pauci in eo occurrunt dies festi, & quia ibi à negotiis forensibus vacatur.

### Problema II.

*Exponere, quomodo cautum sit, ne idem error temporibus secuturis eveniat.*

§. 110. *Resolutio.* Quoniam per intercalationem diei quarto quoque anno factam plus additum fuit quam fieri oportebat, & quoniam 44' singulis quadrienniis remanentia (nam singulis annis remanent 11') intra annos 100 faciunt horas 18. 20'. statutum est, ut non omnes anni centesimi, quemadmodum olim à Julio Cæsare præscriptum fuit, bissextiles essent, sed ut tres anni centesimi essent

essent communes & quartus bissextilis. An-nus 1600. manebat adhuc bissextilis; anni vero 1700, 1800, 1900 bissextilis non sunt: annus 2000 rursus bissextilis erit, & sic deinceps, illi nimirum anni centesimi bissextilis erunt, quorum primi numeri per 4 dividi possunt. Rem hanc clariū ostendo: si an-nus centesimus esset bissextilis, æquinoctium vernum, quod fuit ante sæculum die 1 Martii, regredieretur horis 18. 20'. itaque inci-deret in 20 Martii, horas 5. 40'. si ergo dies, quæ juxta præscriptum Julii Cæsaris in anno centesimo deberet esse bissextilis, omittatur, æquinoctium cadet in diem 21. h. 5. 40'. horæ autem istæ 5. 40'. collecta per 4 annos centesimos conficiunt iterum he-ras 22. 40'. ubi tamen æquinoctium plus æquo retrahitur horâ 1. 20'. qui error pri-mum post 7200 annos unum diem facit, quo æquinoctium recederet, quod per regulam trium erui facilè potest, dicendo: 80' (id est h. 1. 20') emergunt intra 400 annos; 1440 (sive 24 horæ) quod annos requirunt? Rx. requiruntur anni 7200 corrigetur autem facilè error, si annus 7200, qui deberet es-se bissextilis, fieret communis.

*Scholion.*

§. IIII. Si ponatur annus solaris tropicus esse dierum 365. h. 5. 49' 12". ut multi censent; remanent in quovis sæculo 18 horæ, itaque si cente-

centesimus annus sit communis, remanent 6 horae, quæ per 4 annos centesimos collectæ faciunt horas 24, quæ diem efficiunt, qui intercalatur & sic perpetuo habetur consensus cum caelo.

## C A P U T IV.

CORRECTUS SECUNDUS ERROR  
CYCLI LUNARIS.

§. 112. *Observatio.* Major fuit difficultas in emendando cyclo lunari; voluit Gregorius retinere in Calendario novo cyclos faciles, sed emendatos, & modum iis utendi antiquum, numerus autem aureus cum epactis veteribus nulli amplius usui erant. Itaque Aloysius Lilius medicus Romanus novas epactas pro novo Calendario invenit, quas clavius correxit & melius dispositus.

§. 113. *Definitio I.* Epacta est excessus anni solaris supra lunarem, quia annus Lunaris minor est anno solari; sic si annus solaris cum lunari incipiat i Januarii, annus lunaris citius finietur quam annus solaris.

§. 114. *Definitio II.* Epacta Astronomica est excessus, quo annus solaris Astronomicus excedit annum lunarem, Astronomicum, si subducatur annus lunaris à solari. Nimirum dies 10. h. 21. 1'. 22". quod residuum dicitur epacta Astronomica. §. 115.

115. D  
celius,  
excedit  
nimiri  
lis sit e  
sus est  
mensa  
mūn  
anno  
& est  
meru  
epact  
sequit  
Epi  
&a v  
lanc  
que  
omni  
dis n

§. 116

Nom. au

Ep.

Nom. au

Ep.

H

aure

§. 115. *Definitio III.* Epacta civilis est excessus, quo annus solaris civilis 365 dierum excedit annum lunarem civilem dierum 354, nimirum dierum 11. itaque si quæritur, qualis sit epacta alicujus anni e. g. anni 1765 sensus est, quot dies remaneant post ultimum mensem anni lunaris 1764. usque ad primum Januarii 1765. nimirum remanent VII. anno deinde 1766. his 7 adduntur rursus 11 & est epacta XVIII. Si ultra 30 excurrat numerus, abjiciuntur 30, quod superest, est epacta sequens. Sic post epactam XXVIII sequitur epacta IX.

Epactæ aliæ sunt veteres, aliæ novæ. Epactæ veteres adhibebantur in Calendario Juliano, & respondebant numeris aureis, erantque numero 19, fuere semper eadem pro omnibus saeculis, & serviebant pro indicandis noviluniis.

§. 116. *Tabula Epactarum veterum.*

Num. aur.	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Ep.	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX
Num. aur.	10	11	12	13	14	15	16	17	18
Ep.	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII
									XXIX

Hæ igitur Epactæ veteres, cum numero aureo quoniam vitiosæ sunt, illis substitutæ sunt

sunt aliæ 30, itaque cyclus epactarum est revolutio numeri ab I usque ad XXX, sed loco XXX ponitur \* quia mensis lunaris nunquam explet dies 30.

### Problema I.

*Epaetiarum novarum Officium & proprietates explicare.*

§. 117 *Resolutio.* I. Epactarum officium est. indicare per annum novilunia saltem *politica*, hinc illo die, cui in Calendario responderet Epacta currentis anni per omnes anni menses erunt novilunia *politica*, dico *politica*, quia res ita ordinata est, ut uno die ordinariè seriùs indicentur novilunia quàm re vera contingant, ut eò minus sit periculi, ne cum Judæis pascha celebretur.

II. Scribuntur semper Epactæ characteribus Romanis, ut eo melius a numero diem distinguantur, scribuntur etiam ordine retrogrado. Sic primæ Januarii apponitur \* 2dæ XXIX 3tiæ XXVIII & sic deinceps, ut connaturalius novilunia indicent, quæ in Calendario retrocedunt propter 11 dies, quibus annus lunaris minor est anno solari.

III. Licet 30 sint Epactæ, non omnes tamen semper sunt in usu sed tantum 19, quibus respondent numeri aurei; ponuntur omnes 30 in Calendario, quia lunationes trigesies mutari possunt & in omnes dies incidere; feliguntur autem tantum 19, quia cyclus

cyclus lunæ absolvitur annis 19. pro hoc  
Sæculo servit tabula Sequens:

§. 118. Tabula epactarum pro Sæculo 1700  
usque ad 1900.

Nu.aur.	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
---------	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----

Ep.	IX	XXII	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII
-----	----	------	---	-----	-------	----	----	------	-----	-------

Num.aur.	1	2	3	4	5	6	7	8	9
----------	---	---	---	---	---	---	---	---	---

Ep.	*	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII
-----	---	----	------	-----	-----	-----	----	------	--------

IV Proceditur in epactis, quasi omnes lunationes essent plenæ Dierum 30, quia excessus compensatur per dies intercalares annorum bissextilium.

V. In Calendario epactæ XXIV. & XXV. eadem sedem habent eodem die, id quod contingit sexies, nimirum 5. Febr. 5. Apr. 3. Jun.

1. Aug. 29. Sept. 27. Nov. Ratio est, quia, si singulæ epactæ ponerentur solitariè suo ordine, omnes menses lunares essent plenæ, adeoque annus lunaris esset dierum 360, si ergo duæ epactæ sexies juxta se ponantur, fiunt sex menses cavi & proinde detractis his 6. diebus erit annus lunaris dierum 354.

VI. Ubi epactæ XXIV & XXV. simul ponuntur, ad latus epactæ XXVI. ponitur epacta 25. notis Arabicis, & in mensibus, ubi epactæ XXIV. & XXV. non simul ponuntur, ponitur epactæ 25. notis Arabicis

ad latus epactæ XXV. Ratio est, ne, quando epactæ XXIV. & XXV. in usu sunt, intra spatiū 19. annorum novilonium bis cadat in eundem diem, quod contingeret in saeculo 1900. & 2000, ideoque assumitur numerus 25. notis arabicis Scriptus.

VII. Si numerus Aureus esset 19, epacta sequens continet 12 unitates, quia si 11 ducantur in 19, emergunt dies 209, ubi continentur 6 lunationes plenæ 30 & una 29 dierum; cum verò omnes menses embolimici constent 30. diebus, una dies additur præter ordinem sequenti epactæ, & fiunt dies 12.

VIII. Die ultima Decembribus epactæ XX. adjungitur epacta 19 characteribus Arabicis scripta, quæ usui est, quando numerus aureus 19 concurrit cum epacta XIX. ratio est, quia aliàs integra lunatio omitteretur; si enim 2. Dec. cum epacta XIX. esset novilonium anni præcedentis, anni Sequentis epacta esset I quæ non recurreret, nisi 30. Jan. anni Sequentis.

### Problema II.

*Epaetam veterem pro quovis anno invenire.*

§. 119. *Resolutio.* 1. Quære numerum Aureum pro anno dato.

2. aureus numerus ducatur in **II.**
3. productum dividatur per **30.** & residuum divisionis indicat epactam quæsitam. Si nihil restat est epacta **30.**
- c. g. anno **1765** aureus numerus **18** ductus in **II** = **198** quæ summa divisa per **30** relinquit residuum **18**, itaque epacta **vetus** est **18**. Ratio est, quia cùm numero **1** respondeant **II**, & epactæ crescant per **II** singulis annis, si divizio producti fiat per **30**, abjiciuntur semper lunationes **embolisticæ**, quotiens ergo dabit harum numerum & residuum dabit epactam.

### *Problema III.*

**§. 120.** *Epactam novam ex epacta veteri pro quolibet anno invenire.*

*Resolutio.* 1. Ab epacta veteri abjice dies exempliles anni propositi v. g. **1765.** & si subtractio fieri nequeat, adde **30**, ut illa fieri possit.

2. vide quid remaneat & habes epactam novam.

*eg.* anno **1765.** epacta **vetus** est **18**, abjectis diebus **II** exemplilibus habes **7.** quæ est epacta quæsita.

*Ratio est*, quia epacta nova distat a veteri quantum annus Gregorianus a veteri distat, cùm ergo retrogrado ordine dispo-

sitæ sint epactæ, abjiciendi sunt dies  
exemptiles.

### Problema IV.

Cuilibet anno epactam assignare ex Tabellâ.

Tab. II.

- §. 121. *Resolutio.* Ut anno dato eg. 1765 epactam assignes, invenire oportet 19 epactas Sæculo, in quo ille annus est, convenientes; has autem facilè intelligere poteris ex tabulâ æquationem infra positâ, ubi litera anno Sæculi proposita indicat, qualis series in tabulâ expansâ epactarum ad finem opuseuli adjecta sumenda sit. Sic sæculo 1700 vides præfixam esse literam C, hanc quære in tabulâ epactarum expansâ & videbis esse Seriem illi appositam nimirum, XXII. III. &c.
2. quære numerum Aureum anni dati 1765 modo supra tradito, (§. 77.) nimirum addendo unitatem & dividendo per 19, ubi residuum 18 dat quæsิตum numerum aureum.
3. Ingredere cum hoc numero aureo in tabulam epactarum expansam, & ex dicto numero descende deorsum, & simul incipe à litera C per istam seriem progredi transversim, ubi linea ista ex C transversim ducta & linea ex numero aureo deorsum ducta se secant, uti hic in VII, habes epactam quæsิตam.

§. 121

## §. 122. Tabula æquationum anni solaris &amp; lunaris.

Literæ epact.	Anni cent.	Aeq. ○	Aeq. ☽	dies omissi.	Literæ ep. indic.	Anni cent.	Aeq. ○	Aeq. ☽	dies omissi.
D	1600	Biff.		10	r	3200	Biff.		22
C	1700	○		11	r	3300	○	☽	23
C	1800	○	☽	12	q	3400	○		24
B	1900	○		13	p	3500	○		25
B	2000	Biff.		13	q	3600	Biff.	☽	26
B	2100	○	☽	14	p	3700	○		27
A	2200	○		15	n	3800	○		28
u	2300	○		16	n	3900	○	☽	
A	2400	Biff.	☽	16	n	4000	B iff.		28
u	2500	○		17	m	4100	○		29
t	2600	○		18	l	4200	○		30
t	2700	○	☽	19	l	4300	○	☽	31
t	2800	Biff.		19					
s	2900	○		20					
s	3000	○	☽	21					
r	3100	○		22					

§. 123. Ex hac tabulâ non tantum eruere potes seriem epactarum cuiuslibet sæculi, sed vides insuper æquationem Solis & lunæ & numerum dierum omissorum.

*Aequatio anni Solaris* est omissione diei intercalaris certis annis centesimis, qui in Calendario Juliano fuissent bissextiles, annus igitur, cui signum Solis apponitur, æquatione indiget, sive non est bissextilis.

*Aequatio anni Lunaris est Selectio 19 epactarum ex 30 novis epactis Gregorianis, quarum ope annus lunaris iterum cum anno Solari coæquatur; nam cum luna novilunia sua intra 19 annos non ad eandem horam reducat, sed intra annos 312  $\frac{1}{2}$  uno die citius prævertat, singulis tribus centesimis annis æquatione indiget, quod lunula D indicat. Hic nimirum significatur, epactam unitate augendam vel minuendam vel retinendam esse, pro quo sunt sequentes regulæ.*

§. 121. Reg. I. Si annus aliquis centesimus non est bissextilis, & luna æquatione non indiget, descendendum est in tabulâ expansâ Epactarum ad seriem proximè inferiorem. Sic pro anno 1700 descendendum est ex serie D. quæ valebat sæculo elapsò, ad seriem C.

§. 125. Reg. II. Si annus sit bissextilis & luna æquatione indiget, ascendendum est ad seriem proximè superiorem e. g. anno 2400 ascendendum est ex serie u ad superiorem seriem A

§. 126. Reg. III. Si & annus solaris & lunaris simul vel neuter æquatione indiget, substitutur in eadem literâ, uti fit anno 2100 & 2000.

§. 127. Circa has tamen æquationes observa, non præcisè 300 annis lunam prævertere die integro, sed annis 12  $\frac{1}{2}$  ultra annos 300; illos

illos igitur annos colligendos esse tam diu, usque dum integrum Sæculum efficiant; hinc postquam septima æquatio facta est, expectandum est non 3 sæculis sed 4, ut æquatio octava fieri possit; nam anni 12 & dueti in 8 conficiunt annos 100. signum hujus æquationis extraordinariæ est duplex lunula ☺ in tabella.

§. 128. Denique circa literas majores & minores tabulis epactarum & æquationum præfixas nota, illæ esse literas martyrologii & olim loco epactarum fuisse usurpatas, sunt 30 & omittitur inter majores & minores litera O ne pro Zero habeatur, & inter majores I K L, ne confusione in pariant cum aliis literis.

### CAPUT V.

#### VARIA PROBLEMATA AD CALENDARIUM PERTINENTIA.

##### Problema I.

*Invenire, an annus datus sit bissextilis vel quotus sit a bissextili.*

§. 129. *Resolutio.* Numerum anni dati divide per 4, si nihil remanet, est annus bissextilis; si vero aliquid remaneat eg. 1. 2. 3, signum est, quod annus sit 1 vel 2 vel 3 post bissextilem. E. g. annus 1765 divisus per 4 relinquit 1, itaque est primus post bis-

sextilem, quotus 441 indicat quot anni bissexiles à Christo nato effluxerint.

### *Problema II.*

*Invenire, an annus aliquis centesimus sit bissextilis.*

§. 130. *Resolutio.* Ab anno centesimo dato abjice duas postremas cyphras ad dextram, reliquas divide per 4. si remanet nihil, annus est bissextilis, si remanet aliquid, illud ostendit, quotus sit annus post bissextilem centesimum ultimum. eg. Si ex 1700 rejecias duos zeros ultimos, remanent 17 si dividantur per 4, remanet 1; igitur est annus centesimus primus communis. Ratio est Statutum Pontificis.

### *Problema III.*

*Invenire, quot dies intercalares prater 10 dies anno correctionis omissos usque ad annum quemcunque propositum exempti sint.*

§. 131. *Resolutio.* 1 Ex numero anni proposti abjice 1600.

2. Reliquos annos centesimos divide per 4.

3. Quotientem multiplica per 3.

4. Produktum adjice residuum divisionis, si quod fuit.

5. Adjice dies 10 anno correctionis omissos, & habes numerum dierum omissorum pro anno dato. eg. vis scire, quot dies sunt omissi

omissi anno 3100. Si subtrahantur 1600.  
remanent 1500 sive 15 anni centesimi, qui  
divisi per 4 relinquunt pro quoto 3 & pro  
residuo pariter 3, si triplicatur quoius, fient  
9, addatur residuum 3, & erunt 12, deni-  
que his adjice 10 dies omissos & erunt dies  
omissi 22. Si numerus annorum centesi-  
morum subtractis 1600 dividi non possit  
per 4, uti fit eg. anno 1700. ubi subtractis  
1600 remanet unus annus centesimus, adde  
hoc residuum ad dies 10 anno correctionis  
omissos, itaque pro 1700 habes dies 11.

*Ratio est.* Subtrahuntur 1600, quia ibi  
incipiunt numerari dies exempti. Multipli-  
catio annorum centesimorum fit per 4, ut  
innotescat quoties quater centum anni elapsi  
sint, & accipitur triplum quoti, quia intra  
400 annos tres dies omissi sunt. Additur  
residuum annorum centesimorum, quia sin-  
gulis centum annis dies omittitur, & deni-  
que adjiciuntur 10 dies ante annum corre-  
ctionis omissi.

*Scholion.*

§. 132. *Ad motus cœlestes Supputandos ex ta-  
bulis Astronomicis necessarium est scire solu-  
tionem hujus problematis.*

*Problema V.*

*Novilunia cuiuslibet mensis & novilunia pa-  
schalia invenire.*

§. 133. *Resolutio.* Vide cui diei mensis in Ca-  
len-

lendario apposita sit epactæ anni currentis & habes diem novilunii.

*Alio modo.* 1. Epactæ anni currentis adde numerum mensium à Martio iinclusive.

2. Summam subtrahe a 30, vel si summa sit major 30, subtrahe à 60. & numerus residuus indicat diem mensis, in quo est novilunium quod pro mense illo quæreris.

§. 134. *Pro inveniendo novilunio paschali,* inquire per epactam novilunium, quod est inter 8 Martii & 5. Apr. & habes novilunium paschale.

### Problemæ VI.

*Aetatem lunæ quolibet mense & die invenire.*

§. 135. *Resolutio.* 1. Epactæ anni dati addatur numerus mensium à Martio inclusivè.

2. His addatur numerus dierum mensis dati.

3. Si summa horum trium est minor quam 30, illa denotat ætatem lunæ; si major, abdice 30, & residuum indicat ætatem lunæ.

E. g. 1 Octobr. 1764. epactæ est 26, numerus mensium à Martio elapsorum est 8, quibus si addatur numerus diei 1, fit summa 35. abjectis 30 à 35 remanent 5, est ergo luna 5.

### Scholion I.

§. 136. *In Januario ad epactam & diem mensis nihil est apponendum, nihil etiam in Martio. In Februario additur una dies. Aliqui in resolutione*

tione hujus postremi & superioris problematis numerant diem mensis à Martio exclusivè.

### Scholion II.

§. 137. Licet annus lunaris sic aliquo modo æquetur cum anno solari; non tamen sic exactè ostenditur ætas lunæ. Sed plerumque uno die seriùs indicatur quam revera astronomice sit.

### Problema VII.

Invenire quot sint lunationes in dato anno.

§. 138. Resolutio. 13 lunationes sunt quando est numerus aureus 3 6 8. 11. 14. 17. 19. in his 6 priores anni habent lunationes plenas, ultimus qui habet num. 19 habet cavam.

### Problema VIII.

Lunam 14 sive terminum paschalcm reperire pro Calendario veteri & novo.

§. 139. Resolutio Pro Cal. vet, Epactam veterem subtrahe à 47. reliquum ostendit diem a prima Martii, in quem incidit luna 14 paschalis.

E. g. 1764. epacta vetus est VII, subtracta ex 47 relinquit 40, si ergo numerentur dies a 1 Martii, devenitur ad diem 9 Aprilis, & die sequenti dominica est pascha.

Pro Cal. novo. Vide epactam novam, quæ est intra 8 Martii & 5 Aprilis, numera ab eo die inclusivè 14 dies & habes lunam 14 paschalem.

Alio modo. 1. Subtrahe epactam novam ex 30.

2. Re-

2. Residuo, si sit 7 aut majus, adde 14, si vero minus sit quam 7, addantur 44. si tamen illo anno in usu esset epacta XXIV & 25 diverso charactere adde tantum 43.

3. Numera totidem dies a 1 Martii & incides in diem lunae 14.

E.g. anno 1764 epacta nova est 26. residuo 4, quod habetur si epacta subtrahatur a 30, adde 44 & habes 48, qui est dies, numerando a 1 Martii, 17 Aprilis, in quo est luna 14.

*Ratio utriusque habetur ex dispositione epactarum ad dies Martii & Aprilis.*

### Corollarium I.

§. 140. Si ultimus numerus non excedat numerum 31 habes lunam 14 in Martio, si excedat, erit illa in Aprili.

### Corollarium II.

§. 141. Ex his facilè confici potest tabula terminorum paschaliū in Calendario novo: usus est sequens: vide epactam anni currentis, & ad latus videbis terminum paschalem cum litera conveniente, quare per literam dominicalem ejus anni sequentem dominicam & habes pascha. Si tamen ipsa litera adjuncta sit dominicalis, differendum est pascha ad proximam dominicam ut contigit anno 1750. quo anno epacta fuit XXII, terminus paschalis 22 Mart. cum litera D quae illo anno erat dominicalis, igitur celebratum fuit pascha sequenti dominica, 29 Martii.

§. 142.

1	
2	X
3	
4	I
5	
6	X
7	
8	X
9	XX

D  
te  
§. 143.  
9. h  
fima  
dem  
2  
vis  
heb  
fest  
pho  
qu  
H  
ld  
4. p

§. 142. Tabula terminorum paschal. ab anno 1700 usque ad an. 1900.

Num. aur.	Epactæ	Termini Pasch.	Num. sur.	Epactæ	Termini Pasch.
1	*	13 April E	10	IX	4 April C
2	XI	2 April A	11	XX	24 Mart. F
3	XXII	22 Mart. D	12	I	12 April D
4	III	10 April B	13	XII	1 April G
5	XIV	30 Mart. E	14	XXIII	21 Mart. C
6	XXV	18 April C	15	IV	9 April A
7	VI	7 April F	16	XV	29 Mart. D
8	XVII	27 Mart. B	17	XVII	17 April B
9	XXVIII	15 April G	18	VII	6 April E
			19	XVIII	26 Mart. A

### Problema IX.

Dato festo paschatis reliqua festa mobilia determinare.

§. 143. Resolutio I. Si a. paschate retrocedas per 9. hebdomadas, occurrit dominica Septuagesimæ, si per 7. dominica Quinquagesimæ, cùdem septimanâ feria 4. est dies cinerum.

2. Post Pascha, post 5. dominicam die Iouis est festum Ascensionis Domini, post 7. hebdomadas Pentecostes, dominica sequenti festum Ss. Trinitatis, feria 5. sequenti Theophoria Domini.

3. Quatuor tempora colliguntur ex sequenti versu:

Post Penitentiam, i.e. sunt tempora quatuor anni. Id est feria 4. post pentecosten in aestate; feria 4. post festum exaltationis S. Crucis in autumno

tumno, fer. 4. post festum S. Luciae in hyeme.  
Feria 4. post cineres in vere.

4. *Intervallo majus*, sive numerum Dominicarum inter Pentecosten & adventum sic colliges vide, quot sint Dominicæ inter pascha & diem S. Georgii, 23 Aprilis inclusivè, tot sunt Dominicæ ultra 24. post Pentecosten usque ad adventum, si nulla intercedat dominica, erunt dominicæ 24. si pascha sit post festum S. Georgii erunt tantum Dominicæ 23.

Idem obtinetur, si numerentur dominicæ, quæ sunt inter pentecosten & festum S. Barnabæ 11. Junii.

5. *Intervallo minus*, sive numerus dominicarum, quæ sunt inter nativitatem Christi & dominicam Quinquagesimæ habitæ paschate sponte sequitur.

6. Dominica prima Adventus est illa, quæ festo S. Andreæ est proxima, adeoque illa à paschate non dependet.

### Problema X.

*Calendarium Gregorianum componere.*

§. 144. *Resolutio 1.* Vide an annus propositus sit communis an Bissextilis (§. 129.)

2. Dies anni distribue in menses.

3. Quære literam dominicalem §. 71. & Dies hebdomadæ distribue.

4. Quære numerum aureum §. 77. & epactam. §. 121.

5. Per epactam quære novilunium paschale §. 134. & pascha.

6. Or-

6. Ordinentur festa mobilia a paschate dependentia §. 143.

7. Adscribantur festa immobilia.

8. Consule Ephemerides Astronomicas & ex illis excerpte loca solis & Lunæ, horum luminarium ortum & occasum, longitudinem diei & noctis, primarias phases Lunæ, ingressum solis in puncta cardinalia, aspectus planetarum.

Cave, ne immisceas ridicula monita de diebus faustis & infaustis, de dominio planetarum & quæ sunt hujusremodi astrologiæ superstitiones deliramenta: ne certò prædicas venturas tempestates &c quia hæc sine omni prorsus fundamento adjici solent.

### S cholion

§. 145. Cùm Ephemerides Astronomicæ accommodatae sint certo cuidam meridiano; nosse oportet, quis iste meridianus sit, & quæ excerptis, accommodanda sunt meridiano tuo. Indaganda nimurum est utriusque loci longitudo geographica, minor subtrahatur à majori, ut habeatur differentia, converte differentiam hanc meridianorum in tempus, sumendo pro singulis gradibus differentia minuta horaria 4. itaque hoc tempus adde, si locus tuus est orientalior quam locus Ephemeridum; subtrahere, si locus tuus est occidentalior e. g. si longitudo Moguntiae sit gradum 28.23'. & longitudo Parisiorum, sit grad. 22.43'. differentia est 6 gr. 10'. hæc differentia conversa in tempus efficit 24'. 40''. si ergo eclipsis aliqua pro meridi-

ano Parisiensi supputata est pro hora 1. 30'. ut scias, quo tempore illa futura sit Moguntiae, adde 24'. 40". temporis tuo & babes horam 1. 54'. 40". additur autem istud tempus, quia quando Parisiensis est hora 1. 30'. Moguntiae jam effluxere ultra hoc tempus 24'. 40". hinc si meridianus tuus esset occidentalior substrabi deberet differentia in tempus conversa.

### Scholion II.

§. 146. Pro Calendario Juliano conscribendo ad dendì sunt dies exempti, quærenda est litera dominicalis cycli solaris veteris, ut etiam novilunium paschale per Epactam veterem & reliqua ordinanda sunt juxta regulas novo & veteri Calendario communes.

### CAPUT VI.

#### CALENDARIUM PROTESTANTIUM, QUOD VULGO CORRECTUM VOCANT.

§. 147. **D**efinitio. Calendarium Protestantum, quod illi correctum vocare solent, est illud, in quo sine cyclis æquinoctiis cum plenilunio paschali & inde dependentibus festis per computum Astronomicum juxta tabulas Rudolphinas absolutum determinatur.

### Scholion.

§. 148. Status Protestantes, quibus omnia displicant quæ a Pontifice proveniunt, maluere in errore perseverare, quam admittere Calendarium iussu Gregorii Pontificis correctum, retinuere igitur Calendarium Julianum cum suis erroribus usque ad

ad annum 1700. Anno 1699. die 23 Sept. tandem Julianum hoc modo correxerunt. 1. Dies superfluos 11. anno 1700. post diem 18. Februarii ejecere. 2. Statuerunt calculum Paschalem non cyclo alicui accommodare, sed æquinoctium & plenilunium paschale per calculum Astronomicum investigare. Anno 1722. decrevere, ut calculus Astronomicus ad meridianum Uranoburgicum ordinetur, & tamen jam anno 1724. aliqui Protestantium pascha celebrarentur die 9. Aprilis, alii die 16. contra statutum Concilii Nicæni, quod voluit, ut ab omnibus eodem die celebraretur.

### Problema I.

Ostendere, cur Calendarium Gregorianum præferendum sit Calendario Protestantium correcto.

§. 149. *Resolutio.* Meritò præfertur Calendarum Gregorianum Calendario Protestantium correcto ob sequentes rationes.

1. Ecclesia semper usurpavit cyclum decennovenalem, & nunquam adhibuit calculum Astronomicum pro inveniendo paschate; ergo consuetudo ista retinenda est.

2. Ex statuto Concilii Nicæni uno eodemque die naturali celebrandum est pascha in toto orbe, sed fieri hoc non potest, si calculus adhibetur Astronomicus, nam si Luna 14. paschalis uno in loco cadit in diem Sabbathi, sequenti dominica erit pascha, aliis autem magis orientalibus luna 14. cadet in dominicam adeoque illi debebunt differre pascha

in dominicam sequentem; sed hæc omnia non eveniunt in Calendario Gregoriano; nam licet alii dominicam habeant, cùm aliis sit adhuc dies Sabbathi, omnes tamen intra horas 24. sive uno die naturali pascha celebrant.

3. Calculus Astronomicus Calendarii correcti accommodatus est tabulis Rudolphinis, sed præterquam quòd his meliores dentur, ut Cassinianæ & plures aliæ, nimis difficile est populis per orbem diffusis eruere, per calculum Astronomicum novilunia & plenilunia paschalia, cùm econtra methodus determinandi pascha in Calendario Gregoriano facillima sit, neque in eo ullius determinati meridiani habenda sit ratio, ita, ut quilibet sacerdos ex Breviario suo pascha invenire posit.

Hinc mirum non est, quod Academia Parisiensis anno 1701. jussa à Ludovico XIV. meatem suam aperire sine fuso de Calendario Gregoriano ita locuta sit: *bujus generis opus, tam amplum, tam vastum, quo majus nemo hactenus elaborandum suscepit, satis utique foret perfectum, et si quoptam laboraret defectu, longe proin perfectus est, cùm ex aequitatis iudicio defendi possit, quod nec hunc unicum defectum habeat.*

### Problema I.

*Solveve ea, quæ contra Calendarium Gregorianum obmoventur.*

§. 150. Qui Calendarium Gregorianum impugnant opponere Solent I. quod juxta Calendar-

lendarium hoc pascha subinde celebrandum  
sit cum Judæis.

II. dicunt vitiosum esse cyclum Gregorianum 1. quod affigatur æquinoctium vernum diei 21. Martii, cum tamen illud seriùs aut certius contingere possit. 2. Quod exigente cyclo subinde celebretur pascha Secunda, subinde quarta hebdomada, subinde in Mense secundo.

§. 151. Respondeo ad I. Nego Ant. Nullum est periculum celebrandi pascha cum Judæis; nam primò Judæi ex præscripto Legis celebrant pascha die 14. primi Mensis ad vesperam die 15. habebant solennitatem azymorum, quæ solennitas subinde ampliatiè pascha dicitur: verùm pascha nostrum non celebratur Luna 14. sed Dominica Lunam decimam quartam sequente & nunquam ante Lunam 15. inde si etiam aliqui PP. sumant plenilunium pro Luna 14. non loquuntur strictè; & teste Petavio & Clavio non diu post Concilium pascha sèpius celebratum fuit luna 15. in plenilunio, nunquam autem luna 14. 2. Cyclus Gregorianus dirigens pascha una die seriùs ordinariè indicat novilunia, quām re ipsa contingant, unde nullum est periculum, ne cum Judæis pascha celebremus, nisi forte Judæi contra legem & rectam temporis ordinandi rationem agant in figendo suo paschate.

§. 152. Respondeo ad II. Object. part. I. Nego Ant. Nullus cyclus potest retinere in eodem die

æquinoctia, sed illa hinc inde subinde evagan-  
tur, nec in eo cycli bonitas consistit, quod cælo  
exactè consentiat, quod impossibile est, sed  
quod non multum aberret, & error per cy-  
clum rursus corrigatur, quod sit in cyclo  
Gregoriano & hinc bene affigitur æquino-  
ctium diei 21. Martii & si futuris etiam tem-  
poribus error observaretur, sine mutatione  
Calendarii corrigi is posset, si in tabula Epa-  
ctarum expansa vel ascenditur vel descendi-  
tur, prout res postulat.

R. ad 2. Object. part. 2. Cùm cyclus prop-  
ter graves rationes ita ordinatus sit, ut tar-  
diùs novilunia designet, fieri potest, ut sit  
hebdomada secunda Astronomicè, quando cy-  
clicè & politicè est prima, eodem modo fieri  
sed raro posset, ut paſcha celebretur mense  
ultimo, licet error hic per literam dominica-  
lem ſæpe corrigatur: posset etiam celebrari  
mense Astronomicè secundo, quando nim-  
rum Luna 14. & æquinoctium ante 21. Mart.  
contingeret, sed hoc non est contra Decreta  
Concilii Nicæni, cùm ipsis Concilii Nicæni  
temporibus hoc jam contigerit & talis men-  
ſis Astronomicè 2dus dici posset cyclicè pri-  
mus. Impossibile nimurum est, ut omnis er-  
ror à Calendario, quod per cyclos institui-  
tur, evitetur, ſufficit ſi rariſſimè error even-  
iat & ſi facile corrigi poſſit. De reliquis, quæ  
opponi poſſunt vide Clavium, Petavium,  
Guldinum &c.



OCTOBER	NOV
1 A XXII	1 d
2 b XXI	2 e
3 c XX	3 f
4 d XIX	4 g
5 e XVIII	5 A
6 f XVII	6 b
7 g XVI	7 c
8 A XV	8 d
9 b XIV	9 e
10 c XIII	10 f
11 d XII	11 g
12 e XI	12 A
13 f X	13 b
14 g IX	14 c
15 A VIII	15 d
16 b VII	16 e
17 c VI	17 f
18 d V	18 g
19 e IV	19 A
20 f III	20 b
21 g II	21 c
22 A I	22 d
23 b *	23 e
24 c XXIX	24 f
25 d XXVIII	25 g
26 e XXVII	26 A
27 f XXVI	27 b
28 g 25 XXV	28 c
29 A	29 d
30 b XXIII	30 e
31 c XXII	

CALENDARIUM GREGORIANUM.

Tab. I.

JANUARIUS	FEBRARIUS	MARTIUS	APRILIS	MAJUS	JUNIUS	JULIUS	AUGUSTUS	SEPTEMBER	OCTOBER	NOVEMBER	DECEMBER
1 A *	1 d XXIX	1 d *	1 g XXIX	1 b XXVIII	1 c XXVII	1 g XXVI	1 e XXV XXIV	1 f XXIII	1 A XXII	1 d XXI	1 f XX
2 b XXIX	2 e XXVIII	2 e XXIX	2 c XXVIII	2 c XXVII	2 f XXVI	2 A 27 XXV	2 d XXIII	2 g XXII	2 b XXI	2 e XX	2 g XIX
3 c XXVIII	3 f XXVII	3 f XXVIII	3 b XXVII	3 d XXVI	3 g XXV XXIV	3 b XXIV	3 e XXII	3 A XXI	3 c XX	3 f XXIX	3 A XVIII
4 d XXVII	4 g 24 XXVI	4 g XXVII	4 c 25 XXVI	4 e 25 XXV	4 a XXII	4 c XXII	4 f XXI	4 g XX	4 d XIX	4 g XVIII	4 b XVI
5 e XXVI	5 A XXV XXIV	5 A XXVI	5 d XXV XXIV	5 f XXIV	5 b XXII	5 d XXII	5 e XXI	5 c XIX	5 f XVIII	5 A XVII	5 e XVI
6 f XXV	6 b XXIII	6 b 27 XXV	6 e XXIII	6 g XXII	6 c XXI	6 e XXI	6 A XIX	6 d XVIII	6 f XVII	6 b XVI	6 d XV
7 g XXIV	7 c XXII	7 c XXV XXIV	7 f XXII	7 A XXII	7 d XX	7 f XX	7 b XVIII	7 e XVII	7 g XVI	7 c XV	7 e XIV
8 A XXIII	8 d XXI	8 d XXIII	8 g XXI	8 b XXI	8 c XIX	8 g XIX	8 e XVII	8 f XVI	8 g XV	8 d XIV	8 f XIII
9 b XXII	9 e XX	9 e XXII	9 A XX	9 c XX	9 d XVIII	9 A XVIII	9 d XVI	9 g XV	9 b XIV	9 e XIII	9 g XII
10 c XXI	10 f XIX	10 f XXI	10 b XIX	10 d XIX	10 g XVII	10 b XVII	10 e XV	10 g XIV	10 c XIII	10 f XII	10 A XI
11 d XX	11 g XVIII	11 g XX	11 c XVIII	11 e XVII	11 A XVI	11 c XVI	11 f XIV	11 b XIII	11 d XII	11 g XI	11 b X
12 e XIX	12 A XVII	12 A XIX	12 d XVII	12 f XVII	12 b XV	12 d XV	12 g XIII	12 a XII	12 c XI	12 A X	12 c IX
13 f XVIII	13 b XVI	13 b XVIII	13 e XVI	13 g XVI	13 c XIV	13 e XIV	13 a XII	13 f XI	13 g X	13 b IX	13 d VIII
14 g XVII	14 c XV	14 e XVII	14 f XV	14 A XV	14 d XIII	14 f XIII	14 b XI	14 e X	14 g IX	14 c VIII	14 e VII
15 A XVI	15 d XIV	15 d XVI	15 g XIV	15 b XIV	15 c XII	15 g XII	15 e X	15 f IX	15 A VIII	15 d VII	15 f VI
16 b XV	16 e XIII	16 e XV	16 A XIII	16 c XIII	16 f XI	16 A XI	16 d IX	16 g VIII	16 b VII	16 e VI	16 g V
17 c XIV	17 f XII	17 f XIV	17 b XII	17 d XII	17 g X	17 b X	17 e VIII	17 A VII	17 c VI	17 f V	17 A IV
18 d XIII	18 g XI	18 g XIII	18 c XI	18 e XI	18 A IX	18 c IX	18 f VII	18 b VI	18 d V	18 g IV	18 b III
19 e XII	19 A X	19 A XII	19 d X	19 g X	19 b VIII	19 d VIII	19 g VI	19 c V	19 f IV	19 A III	19 c II
20 f XI	20 b IX	20 b XI	20 e IX	20 g IX	20 c VII	20 e VII	20 a V	20 d IV	20 f III	20 b II	20 g I
21 g X	21 c VIII	21 c X	21 f VIII	21 A VIII	21 d VI	21 f VI	21 b IV	21 e III	21 g II	21 c I	21 e *
22 A IX	22 d VII	22 d IX	22 g VII	22 b VII	22 e V	22 g V	22 c III	22 f II	22 A I	22 d *	22 f XXIX
23 b VIII	23 e VI	23 e VIII	23 A VI	23 c VI	23 f IV	23 A IV	23 d II	23 g I	23 b *	23 e XCIX	23 g XXVIII
24 c VII	24 f V	24 f VII	24 b V	24 d V	24 g III	24 b III	24 e I	24 g *	24 e XXIX	24 f XXVIII	24 A XXVII
25 d VI	25 g IV	25 g VI	25 c IV	25 e IV	25 A II	25 c II	25 f *	25 b XXIX	25 d XXVIII	25 g XXVII	25 b XXVI
26 e V	26 A III	26 A V	26 d III	26 f III	26 b I	26 d I	26 g XXIX	26 c XXVIII	26 d XXVII	26 A 24 XXVI	26 e 25 XXV
27 f IV	27 b II	27 b IV	27 e II	27 g II	27 c *	27 e *	27 A XXVIII	27 d XXVII	27 f XXVI	27 b XXV XXIV	27 g XXIV
28 g III	28 c I	28 c III	28 f I	28 g I	28 d XXVX	28 f XXIX	28 b XXVII	28 e XXVI	28 g XXV	28 c XXIII	28 e XXII
29 A II	29 d II	29 d II	29 g *	29 b *	29 e XXVIII	29 g XXVIII	29 c XXVI	29 f XXV	29 g XXIII	29 d XXII	29 e XXI
30 b I	30 e I	30 e I	30 A XXIX	30 c XXIX	30 f XXVII	30 A XXVII	30 d XXV	30 g XXIII	30 b XXII	30 e XXI	30 g XX
31 c *	31 f *	31 f *	31 d XXVII	31 g XXVI	31 e XXIV	31 g XXIV	31 f XXIII	31 g XXII	31 e XXI	31 f XX	31 g XX

LA EPAC

9 10

E

VI XVII X

V XVI XI

IV XV

III XIV

II XIII

I XII

\*

XI

XXIX X

XXVIII IX

XXVII VIII

XXVI VII

XXV VI

CXIV V

CXIII IV

CXII III

XXI II

XX I

XIX \*

XXIX

XXVIII

XXVII

XXI

XX

XIX

XVIII

XVII

XV

XIV

XIII

XII

XI

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

III

II

I

X

IX

VIII

VII

V

IV

# LA EPAC<sup>ib.</sup> II.


9	10	11	12
E P			
VI	XVII	X	XIX
V	XVI	X	XVIII
IV	XV	X	XVII
III	XIV	X	XVI
II	XIII	X	XV
I	XII	X	XIV
*	XI	X	XIII
XXIX	X	X	XII
XXVIII	IX	X	XI
XXVII	VIII	X	X
XXVI	VII	X <sup>II</sup>	IX
XXV	VI	X <sup>I</sup>	VIII
CXIV	V	X	VII
CXIII	IV	X	VI
CXII	III	X	V
XXI	II	X	IV
XX	I	X	III
XIX	*	X	II
VIII	XXIX	X	I
XVII	XXVIII	X	*
XVI	XXVII	V	XXIX
XV	XXVI	V	XXVIII
XIV	XXV	V	XXVII
XIII	XXIV	X	XXVI
XII	XXIII	I	XXV
XI	XXII	I	XXIV
X	XXI	I	XXIII
IX	XX	I	XXII
VIII	XIX	*	XXI
VII	XVIII	XX	XX

## TABULA EPACTARUM EXPANSA.


Tab. II.

Numeri Aurei	3	4	5	6	7	8	9	10	II	12	13	14	15	16	17	18	19	I	2	
EPACTÆ																				
Literæ Epac- tarum ind- ces.	P	*	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVI	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XIX
Epac- tarum ind- ces.	N	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	XXV	VII	XVIII
Epac- tarum ind- ces.	M	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	X	XXI	II	XIII	XIV	XXIV	VI	XVII
Epac- tarum ind- ces.	H	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVII	IX	XX	I	XII	XXIII	V	XVI
Epac- tarum ind- ces.	G	XXV	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	IV	XV
Epac- tarum ind- ces.	F	XXVI	VI	XVII	XXVIII	IX	XIX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	III	XIV
Epac- tarum ind- ces.	E	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVII	IX	XX	II	XIII
Epac- tarum ind- ces.	D	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	I	XII
Epac- tarum ind- ces.	C	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XIII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XXVII	*	XI
Epac- tarum ind- ces.	B	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXIX	X
Epac- tarum ind- ces.	A	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVIII	IX
Epac- tarum ind- ces.	U	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVII	VIII
Epac- tarum ind- ces.	t	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XVIII	*	XI	XXII	III	XIV	XXVI	VII
Epac- tarum ind- ces.	s	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXV	VI
Epac- tarum ind- ces.	r	XVI	XXVII	VII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIV	V
Epac- tarum ind- ces.	q	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXIII	IV
Epac- tarum ind- ces.	p	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXII	III
Epac- tarum ind- ces.	n	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	IX	XXI	II
Epac- tarum ind- ces.	m	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XX	I
Epac- tarum ind- ces.	i	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XIX	*
Epac- tarum ind- ces.	h	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVIII	XXIX
Epac- tarum ind- ces.	g	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	XXVI
Epac- tarum ind- ces.	f	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIV	XXV
Epac- tarum ind- ces.	e	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XIII	XXIV
Epac- tarum ind- ces.	d	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	*	XII	XXIII
Epac- tarum ind- ces.	c	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	XI	XXII
Epac- tarum ind- ces.	b	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVI	VIII	XIX	*	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	X	XXI
Epac- tarum ind- ces.	a	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XIV	V	XVI	XXVII	IX	XX









## TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black



© The Tiffen Company, 2007

H. u. A. 120.

